NOT TO BE ISSUED
OUT OF THE LIBRARY.

00023744

BOMBAY BRANCH
OF THE
ROYAL ASIATIC SOCIETY
TOWN HALL, BOMBAY.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016

XX.8.3

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN III.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE.

23744 ac

XX93

PISIS MDCCLXXIX.

EXCUDEBAT CAROLUS GINESIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

00023744

MAXIMILIANO
ARCHIDUCI AUSTRIAE
TEUTONICI ORDINIS
MAGNO MAGISTRO ETC. ETC.

ANGELUS FABRONIUS.

NIhil profecto in vita mihi jucundius accidere potuit, PRINCEPS REGIE, quam Tecum Romae eſſe,

Tecum aureae aetatis reliquias inviſere, Teque admirari memoria repetentem exempla veterum Romanorum (uſu hoc enim venit ut acrius & attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus) de eorum praeclaris factis copioſe & erudite diſſerentem, aemulantemque iis, qui ea habuerunt, quae Te habere cupiebas. Ex eo tempore in animum induxi meum pro tanto be-

neficio aliquid Tibi repen-
dere ; & quoniam maxime
delectaris magnis & illuſtri-
bus exemplis, haud pror-
ſus Te indignum putavi li-
bellum, qui continet vitas
Italorum doctrina excel-
lentium, & laudes Princi-
pum, qui eos voce & prae-
miis ad preclara ſuſcipien-
da excitarunt. Magnum
laboris mei fructum me
percepiſſe arbitrabor, ſi ju-
dicio & comprobatione tua
gloriari potero.

LECTORI

HAbes, amice Lector, tria volumina eodem tempore edita. Nunc vero multo ſum erectior ad proſequendum opus, quod intelligam illud multorum judicio auctoritateque comprobari. Si ea, quae inchoavi, perficere potero, duodecim uſque habebis volumina. Illud quoque te admonitum eſſe volo vitas Montanarii, Malpighii, Redii, Grimaldii, Baglivii, Caſſinii, Maraldii, Guglielminii, Marſilii, Algarotti, Zanotti, & Mittarellii a me nunc primum in vulgus edi, ceteras vero, quamvis jam antea editas, non ſine corollario iterum in lucem emitti. Vale.

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Nicolaus Steno	Pag. 7.
Geminianus Montanarius	69.
Marcellus Malpighius	128.
Laurentius Magalottus	199.
Franciſcus Redius	278.
Joſephus de Papa	329.
Franciſcus Maria Grimaldius	373.

ANGELUS FABRONIUS

DOMINICO COTUNIO SUO S. P. D.

Magnum ingenium Stenonis, magnumque praeſtantiſſimarum artium ſtudium, tum omnis liberalis ab eo percepta doctrina ſingulareſque virtutes carere certe non debebant hiſtoriae lumine. Quamvis autem ſumptae a me partes ſint res Italorum doctrina excellentium monumentis commendare meis, non tamen prorſus alienum a propoſito ſum arbitratus de Dano etiam ſcribere, qui Hafniam loci & naturae, Florentiam vero juris & voluntatis ſibi patriam fuiſſe dicebat; quod in populi Florentini Civitatem ſuſceptus fuiſſet; quod ibi veritatis conſilium ab hominibus ſanctiſſimis accepiſſet; quodque commoratio in Etruria ad eas artes, quas excolebat, plurimum ſibi profuiſſet. Praeter haec cum opera & conſilio magnam utilitatem attulerit Steno Academiae Piſanae, haec ſatis juſta mihi poterat eſſe cauſſa ad illius vitam conſcribendam. Non deerant quidem iis temporibus Etruriae Anatomici praeſtantiſſimi; conducebat tamen maxime ad illius Provinciae gloriam, unde

fontes ſcientiae ad ceteras fluxerunt, plures eſſe; qui e ſuo multa in commune conferentes longam & difficilem anatomes viam, quantum fieri poterat expeditiorem redderent. Quam porro longa ſit anatomes ipſa ſcientia, quamque difficilis, is demum intelliget, cui muſculorum, viſcerum, oſſium, totque partium, quae aliarum cauſſa ſunt conſtitutae numerus innotuerit. Profecto vel ipſa tradit hiſtoria quantam ii laudem conſecuti ſint, qui partem ejuſdem ſcientiae licet exiguam tum plene tenere tum aliis apte tradere potuerunt. Ex quo lice cognoſcere vere illud a ſummo viro dictum fuiſſe Ire per omnia & plene omnes regiones corporis humani perſpectas habere id quidem & aeque difficile & aeque rarum eſt, quam plena omnium immenſae regionis pagorum, rivorum, valliumque & collium hiſtoria: oſtendi poteſt etiam calculo poſito, fieri non poſſe ut intra XX. annos partes corporis animalis omnes plane peragrentur. *Nam ſi quae ai auctoribus tradita ſunt aliquo modo tenere ſati eſſet, magnum id quidem videretur ac docto homine dignum. At in hoc ſtudio res ita comparatae ſunt, ut niſi naturam in cadaveribus per experimenta rimatus ipſe fueris, nunquam ejuſdem de*

trinae laude perfectus poſſis evadere. Experimenta vero his in rebus quantam per Deum immortalem habent difficultatem atque laborem! Etenim prima lex eorumdem eſt, non ſemel, cum de una parte agitur, neque bis inſtitui debere, quod cum periti homines aliquando neglexerint, maximis in erroribus verſati ſunt. Plurima enim, quae ad rem non pertinent, in experimenta ipſa ſeſe quodammodo immiſcent, neque facile quid alienum ab ipſa re ſit, quid non, animadvertas, niſi eadem experimenta ſaepius inſtituens, quid natura ipſa ferat, quid aliae cauſſae produxerint, aperte cognoſcas. Sed & ſingula experimenta & otium & laborem haud ita parvum deſiderant. Omitto enim res aliquando conſiderandas eſſe ita minutas, ut quamvis nudorum oculorum aciem effugiant; quare vitris iis juvandi ſunt, quae microſcopia dicimus. Omitto quot adhibenda ſint artificia in incidendo, in exſiccando, in aliis quae ſunt ejuſdem generis. Illud praecipuum eſt, artem neſcio quam haud ſane paucis verbis explicandam in his omnibus adhiberi oportere, quam non pluribus profecto mortalibus a natura conceſſam novimus, & ab induſtria fruſtra requiras. Ut aliquod afferamus exemplum auctoritate Hallerii confirmatum, ſectores plerique ſuperioris

ſaeculi ſolebant in eo peccare, quod cum particulam aliquam corporis inſpicerent, contemplationem ſitus, ac vinculorum, quibus annectebatur, facile negligebant. Oportet enim vero viſceris ejus partes omnes, tum nervulos, tum venas, tum parvas arterias, tum quibus definiatur limitibus inſpicere, diligenterque notare; denique ad extremum viſcus integrum e vinculis, quae celluloſa dicuntur, exſolvere, atque ab reliquis, quae circumſtant, ita liberare, ut omni ex parte tibi mundum appareat; ita tamen, ut quid rejeceris non facile obliviſcaris. Expedit etiam aliquando telam ipſam celluloſam omni ex parte reſolvere; quod cum a recentioribus diligenter praeſtitum fuerit, plura fere antiquis incognita deprehenſa ſunt; cujus generis illa ſunt, quod veſiculae ſeminales non in plura inteſtina, ſed in unicum, eumdemque ramoſum, quod cyſterna chyli in canales lymphaticos, quodque in unicum vaſculum epididymis diſſoluta evadit. Maceratio etiam huc facit, quae membranarum elementa ob oculos ponit; & inſtatio quae nimis minuta quaedam adaugens ut conſpicua ſint facile praeſtat. Neque vero tantum in hominum cadaveribus, ſed & in diverſorum animalium corporibus experimenta inſtituenda ſunt. Haec enim, quae ſo-

la licet, cum adhuc vivunt, incidi, multa quae pertinent ad circuitum ſanguinis, ſubtilioreſque ejus motus agnoſcendos, ad iter chyli, ad oſſium incrementa, ad reſpirationem, ad inteſtinorum periſtalticum motum intelligendum apte demonſtrant. Sed & alia quaedam occurunt in anatome difficilia, quae vix aut nullo modo ſolvas, niſi quadrupedum, aut avium, aut aliorum brutorum animalium corpora diſſeces. Exemplum hujus rei poni poteſt in ea quaeſtione, quae de bile jecoris, ac de bile, quae in veſicula fellea deprehenditur, inter Anatomicos agitata eſt; nimirum utrum omnis in jecore, an ipſa in veſicula, & rurſus an aliqua pars in jecore, alia vero in veſicula enaſcatur. Ea quaeſtio ex hominis inſpecto cadavere ſolvi non ita facile poteſt; at vero diſſecta animalia tantum luminis hanc ad rem attulerunt, ut dubia non amplius eſſe videatur. Nam & beſtiae non paucae ſatis ingentes bonam ſibi bilem in jecore ſine ulla fellea veſicula comparant, & nullum animal ſine jecore veſiculam habet, & omne quod habet ita cum jecore conjunctam gerit, ut vel ex eodem exiſtat, vel cum ejus canali, quod vocant excretorium, aperte communicet. Hinc autem in jecore, non in veſicula bilem enaſci quis

non ſateatur? Haec omnia quae & quanta ſuſtinenda ab illo ſint, qui ſtudet anatomiae, ſatis oſtendunt. Sed illud maximum eſt, nervorum notitiam ac ſcientiam poſt centum & amplius annorum ſpatium ita parum fuiſſe perfectam, ut praeter quinti & ſeptimi paris hiſtoriam, quam Nukelius dedit, & nervos oculi, quos plerique vocant Zinnianos, vix aliquid plena perfectaque ſcientia comprehenſum ſit. Haec a te ſaepius audita, mi doctiſſime Cotuni, aliiſque ſummis viris notata idcirco proferre volui, quo magis inflammarem adoleſcentium in nobiliſſimam facultatem incumbentium ſtudia, & quo magis appareret quanta laude digna ſint inventa & labores non ſolum Stenonis, ſed etiam tui, tuique ſimilium, qui una cognitione naturae & ſcientia beati eſſe videmini.

Florentiae Kal. Sext. MDCCLXXIV.

NICOLAUS STENO.

NIcolaus Steno, (alii Stenonis appellant) Haſniae natus eſt IV. Id. Januarias an. MDCXXXVIII. Patrem habuit aurificem quemdam, & arte qua plurimum praeſtabat, & ſtudio quo ardebat in Lutheranam ſectam Chriſtiano IV. Danorum Regi valde acceptum. Hic prout ipſe amabat litteras, filium omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri ſolet, erudiendum curavit. Erat autem in puero praeter docilitatem ingenii ſumma ſuavitas morum, oriſque praeterea & vocis; quo fiebat ut omnibus eſſet cariſſimus. Thomae vero Bartholinio traditus, ut eo magiſtro medicinae & anatomiae ſtuderet, ab ipſo non ſecus ac filius dilectus eſt, & diligentiſſime inſtitutus. Audiit etiam Olaum Borrichium, Simonem Paulli ceteroſque viros, qui phyſica doctrina excellere putabantur. Cujus doctrinae inſignia in patria cum accepiſſet Lugdunum Batavo-

trum venit fama accitus Franciſci Sylvii, quo duce non ſolum in medicina & anatome, ſed etiam in chemia ſe exercuit. Frequentavit quoque ſcholam Jo. Van-Hornii omnium Sylvii diſcipulorum celeberrimi, habuitque aemulos atque imitatores ſtudiorum ſuorum Joannem Swammerdamium, Carolum Drellincourtium, & quotquot ingenii laude excellerent, & gloriae deſiderio tenerentur. Denique Amſtelodamum conceſſit, ut ibi quoque doctiſſimos phyſicos audiret, cum in una philoſophia quaſi tabernaculum vitae ſuae collocaſſet. Ibi exceptus fuit hoſpitio a Gherardo Blaſio, quo cum diligentius & ſaepius de anatome loquebatur; & quia hunc aequiſſimum eorum ſtudiorum, quae ſibi cum ipſo erant communia, aeſtimatorem & judicem ſe habere putabat, non dubitavit eidem ductum ſalivalem exteriorem a ſeſe detectum VII. Id. April. an. MDCLXI. (& notanda quidem ſunt inventorum tempora) ſemel iterumque commonſtrare. Blaſius invidia commotus alienam laudem ad ſe transferre tentavit. Itaque edito de Medicina *Generali Tractatu*, in hujus limine ſe inventorem illius ductus profeſſus eſt.

Aegerrime id tulit Steno, qui talis erat vir ut non modo facere, ſed ne cogitare quidem quidquam auderet, quod non auderet praedicare: quamobrem furti violataeque fidei Blaſium convincere ſtatuit. Sed exitus diſputationis tum brevis, tum etiam non difficilis fuit. Hinc enim explicatis propriis inventis, illinc excuſſis prolatis rebus a Blaſio, qui nec verum ortum, nec verum egreſſum ejuſdem ductus cognoverat, nec ſatis intellexerat quibus illum uſibus natura attribuerit, res plane confecta fuit; ipſeque ductus ex inventore ſuo nomen invenit (1). Multum tamen ſe debere Blaſio profeſſus eſt Steno, quod occaſionem ſibi dederit ſua non modo repetendi, ſed & nova quaedam alia inveniendi. Dum enim parotides in vitulino capite, quo Blaſius ipſum provocavit, inveſtigabat, & vaſa ſequebatur, elegantem diverſarum in collo glandularum per peculiaria vaſa conjunctionem non ſine admiratione obſervavit. Quibus animadverſis rem certius exploraturus bovis caput alterum ſecuit; dein canes aperuit; ad extremum vituli quoque caput ſcrutanti ſalivae vaſa quaedam inſperato occurrerunt. Nam praeter glan-

dulas maxillares, & tonſillas a Wartono deſcriptas, alias notavit intra buccas ſub lingua, in palato, quae omnes inter ſe in eo congruebant, quod ex plurimis glanduloſae carnis quaſi fragmentis, immo glomis, fibrarum, nervorum, vaſorum & membranarum ope copulatis, eſſent compoſitae. Haec ſatis oſtendunt quam immerito a nonnullis Steno eo nomine reprehendatur, quod commodam diviſionem a Sylvio propoſitam glandularum conglobatarum, & conglomeratarum ſecutus minime fuerit. XVI. Kal. Majas an. MDCLXI. ſe vidiſſe ait circa ductum ſalivalem parotidis ludentes plures nervos (quis ignorat quantum id conducat ad plura explicanda phaenomena, quae in ſalivae ſecretione contingunt?) ab eodem plane diſtinctos. XII. vero Kal. Junias ejuſdem anni glandulas buccarum ſalivae aſſignatas anno ante a Sylvio in homine detectas diligentiſſime examinans invenit excretoria eorumdem vaſa, quorum nonnulla praeter detecta a Bartholinio obſervavit etiam, quamvis eſſent anguſtiora, in glandulis, ut ipſe appellabat, ſublingualibus. Sex poſt diebus, cum bubulum caput jam totum fere diſ-

ſecuiſſet, cumque tonſillas excideret, ac vicinias praemeret, tenacem inde elici humorem animadvertit. Hinc totum illud, quod caelum oris conſtituit, exſectum, digitiſque compreſſum innumeras glutinoſi humoris guttulas per exilia foramina, quae membranam veluti cribrum perviam faciunt, emittere vidit. Per eadem tempora invenit Schneiderius membranam illam, unde pituitam exſudare nos docuit, quo de invento, fecit etiam Steno mentionem, ne quis ſua cum alienis confunderet. Expoſita ſtructura glandularum, eorumque vaſorum, quorum munus eſt humorem praeparare, qui os perpetuo irrigat, unde & quomodo hic humor naſcatur, deferaturque in os pluribus declarat Steno, concluditque humorem hujuſmodi in glandulis conglomeratis ab arterioſo ſanguine ſecretum, & in os per excretoria vaſa ſpirituum animalium in glandulas, & proximos muſculos influentium ope compulſum ſalivam facere, rotundas vero ſeu conglobatas glandulas, quae in priorum vicinia reperiuntur, acceptam ab exterioribus partibus lympham in venas refundere, ut refluo ad cor ſanguini miſceatur. Hac occaſio-

ne inſurrexit Steno in Bilſium hominem intolerandae inſolentiae ac ſuperbiae, qui in ea erat opinione non modo ſalivam, ſed etiam humores aqueos omnes a ductu chylifero, vel, ut ille vocabat, rorifero, non autem a ſanguine oriri, in qua confutanda ita ſe geſſit ut omnem humanitatem exuiſſe videatur. Glandulas etiam oculorum diligentiſſime ſuo more exquiſivit, deque iis opuſculum ſcripſit, ex quo apparet inveniſſe illum anno MDCLXII. in vitulis vaſa, quae humorem palpebrarum motui neceſſarium ex arterioſo ſanguine in ipſis glandulis ſecretum ducunt, & eumdem alio inde reducunt. Porro priora vaſa nondum, quod ſciam, Anatomicis fuerant nota; poſteriorum vero quamvis principium non neſcirent, tamen quem ad finem progrederentur nondum certum habebant. *Glandularum oculi altera*, inquit Steno, *quam innominatam vocant, in ſuperiori exterioris anguli regione ſita, magna & fere rotunda in eo loco conſpicitur, unde ad inferiorem orbitae partem inflexa in anguſtam veluti laciniam ſenſim attenuatur. Pars ejus anterior per loborum, in quos eleganter diviſa eſt, intervalla prodeuntibus ex ipſa*

*glandulæ, quae humorem ibi ſecretum excernunt;
vaſis liberum exitum concedit, quae inde interiorem intra palpebrarum tunicam antrorſum pergentia exiguis eandem foraminibus ad brevem a ciliis diſtantiam pertundunt. In conſpectum facile protrahuntur praedictorum fluminum oſtia, modo inverſam in exteriori angulo palpebram tantillum extenderis..... Altera lacrymalis dicta oblonga in vitulo, & in cantho interiore ſeu majore recondita praeter vaſa ſanguinea & nervos, quae illi cum reliquiis glandulis omnibus communia, etiam cartilagine praedita eſt peculiari, & duobus praeterea lympham evehentibus vaſis donata... Haec vaſa intra glandulam orta, & ad cartilaginis latera aſſurgentia, ubi haec ſuperiora, verſus arctatur cartilaginem inter & oculum ſe aperiunt oſtiis non papilla quadam ſed ſolo hiatu dignoſcenda.* Licet priora memorata vaſa, quae ad glandulam innominatam pertinent, in brutis tantum animalibus obſervaverit Steno, non dubitavit tamen aſſerere in humano etiam ineſſe corpore. Sed haec in homine adeo obſcura eſſe tradit Hallerus (2) ut a ſe non ſolum, ſed & ab ipſo Morganio (3) nunquam fuerint viſa, etſi non ignoret affirmaſſe San-

ctorinum, Winslowium, Briggſium, Briſſeauvium, alioſque eadem ſe omnino vidiſſe. Quamvis autem Morganius allatis Galeni & Faloppii verbis oſtendiſſe videatur neque Galenum puncta lacrymalia & horum uſum, aditumque, qui ab iiſdem eſt ad nares uſque perpetuus, latuiſſe; & Faloppium praeterea meatus ab illis punctis in communem ſinum convenientes aperte & nominatim propoſuiſſe, nihilo tamen minus cum ipſo Hallero fatendum eſt, numquam errandi finem factum eſſe, donec Steno alios ductus hygrophtalmicos; Morganius vero ipſe accuratam carunculae anatomen in medium protulere. Equidem non dubito quin majorem etiam Stenoni laudem tributurus eſſet Hallerus, ſi cum ea ſcriberet, innotuiſſet quam feliciter Monroous junior hos ductus glandulae lacrymalis excretorios etiam in homine agnoſcendos neceſſario eſſe demoſtraverit. Scripto huic *de oculorum glandulis noviſque eorundem vaſis* aliud adjunxit Steno quaſi operis appendiculam *de narium vaſis*, quo declarat ſe praeter aquaeductum, & glandulas pituitariae, punctorum etiam lacrymalium in nares uſque continua-

tionem, aliumque naribus proprium ductum; omnia nares humectantia vaſa, & ſimul anguſtum quaſi fretum, per quod contentus in naribus humor in palatum tranſmitti non admodum ex vero putabat, obſervaſſe (4). Iſtud oris cum naribus commercium facile iis apparere affirmabat, qui ad anteriorem dentium radicem tunicam vel tantillum preſſerint tuberculi ibi exſurgentis, ex cujus oppoſitis lateribus preſſione junctis guttam proſilire vidiſſent. Hinc admonet Steno hujuſmodi ductus diſtinctos eſſe in ceteris animantibus & ſeparatos; in homine vero conjunctos priusquam in os penetrent. Needhamius eadem ſe praedicat obſervaſſe, neque a Stenone ſumpſiſſe dicit. Quod & Colinſius fecit. Nemo tamen horum animadvertit quam incerte transferantur ad hominem obſervata a Stenone in brutis animantibus. Quamvis enim in hominis capite membrana ſua denudato hujuſmodi canalis reperiatur, ſi tamen adeſt membrana vix ac ne vix quidem apparet. Primus id notavit Vereheyenius, qui multam operam in hac re inveſtiganda poſuit. Ejus poſtea exemplum alii ſecuti ſunt, omnibuſque anteivit

Morgagnius, ex quo inter caetera ſcimus, quamvis hujuſmodi ductus aperti ſint in parte narium, ſintque ſeparati & diſtincti, illorum tamen oſtia in palato adeo anguſta eſſe, ut vix liquido humori tranſitum praebeant (1). Omnia fere quae antea ſeparatim expoſuerat Steno de glandulis complexus eſt unico Tractatu de ipſis glandulis. Sed hic quoque habet ſua propria, e quibus maxime commemoranda videntur tum canaliculi glandulae epiglottidis per hujus foramina traducti, qua obſervatione Stenonis licet nihil verius eſſe doceat Morgagnius, illam tamen aliis additamentis perfici a ſe oportere putavit; tum deſcriptio viae quam tenent vaſa lymphatica, horumque introitus in glandulas & ab iis egreſſus. Sunt omnino legenda quae tradidit Hallerus de hoc Stenonis invento, quod quidem magno uſui fuit illi ad varias humorum ſeparationes explicandas (6). In hoc de glandulis Tractatu non ſolum ordine enumeravit Steno illa omnia quae ſibi invenire contigit, ſed recenſuit etiam aliorum reperta, quae ſuis lucem afferre poſſent: poſtremo neque ea praetermiſit quae conducere putavit ad explican-

dos

dos plurimos naturales effectus, originem lymphae, lacrymarum, lactis, catarrhi, & humoris, qui in ventriculum perpetuo diffluit. Ex obſervatis a ſe probabiliter confici poſſe exiſtimavit, glandulas conglobatas cribrorum eſſe quaſdam ſimilitudines ita a natura comparatas, ut dum ex arteriis in venas per capillaria tranſit ſanguis, liberatae a ſanguinearum amplexibus vi caloris ſeroſae partes per ſuos quaeque poros expellantur in capillaria lymphaticorum: facere enim ad id nervorum, ut ipſe quidem putabat, extremis venis affixorum directionem elicito per ſenſuum perceptionem mentis imperio ſubjectam. Quam opinionem licet plerique recentiorum phyſicorum, & Malpighius ipſe ſint ſecuti ad explicandam praecipue ſudoris ſecretionem, jure tamen meritoque, ut arbitror, nos admonuit Heiſterus, non ea eſſe multitudine glandulas cutaneas, qua ſuperiores illi autumant, iiſque attributum munus materiee quae expiratur ſecernendae a ſolis in cute arteriolis confici poſſe (7). Tractatum de glandulis ſecutum eſt commentariolum de muſculis, quod quanti faciendum ſit ex praeclaro Boerhaavii teſti-

monio colligi poteſt, qui Stenonem exercitatiſſimum licet Anatomicum non alia tamen parte Anatomes magis excelluiſſe confirmat (8). Praecipuum operis argumentum quod ſibi propoſuit Steno fuit cor, cujus fibrarum ductus & varias inflexiones dum ſequitur, novis inter diſſecandum ſubinde ortis difficultatibus, muſculorum aliorum corde ſimpliciorum fabricam attentius conſiderare neceſſe fuit. Hinc omnes eos muſculos, qui reſpirationem tuentur, deſcripſit, & de coſtarum elevatoribus ea tradidit, ut mireris horum inventionem Verheyenio a pleriſquè tribui. Recte vero monet ab intercoſtalibus illos diſtinguendos, quod & ortu diverſi ſint, & diverſum tendinis habeant locum, quamvis omnes idem praeſtent munus. Sacrolumbi muſculi & diaphragmatis, de quibus multa tradebantur dubia, nonnulla etiam commentitia, exquiſitam deſcriptionem fecit, & uſus indicavit; inter quae laudare praeſertim videtur Morgagnius celeberrimum potiſſimumque experimentum ad muſculorum motum explicandum (9). Inde alios alioſque muſculos ad examen vocans Steno inter cetera erroris illos convincit, qui exiſti-

mabant crotaphiten a maxilla ad cranii uſque os minime produci, & linguae muſculorum extrema in peculiarem deſinere ſubſtantiam. Quamvis nonnulli, & in his Nicolaus Maſſa negaverint peculiarem hanc ſubſtantiam, muſculoſam eam eſſe affirmantes, nemo tamen ante Stenonem iſtud ipſum clara certaque notatione oſtenderat. Ex obſervatis a ſe concludere ſe poſſe ait, in omni muſculo eſſe arterias, venas, nervos, fibras & membranas; illud etiam addit requiſiſſe, num eſſent lymphatica, quae ſaepius circa ipſos viderat, ſed minime reperiſſe. Nullum eſſe muſculum docet, cujus ſingulae fibrae minime abeant utrinque in tendinem; carnem haud differre a fibris; has invicem arteque connexas tendinem componere; laxius junctas carnem efformare; alias aliis ſuperimpoſitas muſculi craſſitiem ſeu profunditatem, alias aliis juxta poſitas ejus latitudinem efficere; & nullam in muſculo facile reperiri fibram, quae unam rectam conſtituat lineam, ſed ſingulas in tres minimum lineas dividi, neque has ejuſdem longitudinis, nec ſemper rectas eſſe, ſed interdum etiam curvas, uti in ſphincteribus vi-

deri praeſertim poteſt, quos e muſculorum numero eximendos eſſe nemo affirmaverit. Si quis haec comparaverit cum iis, quae recentiores tradunt Anatomici, non dubito quin eam maxime converſionem rerum, linearumque diviſionem facile ſit improbaturus. Membranam non modo tranſverſo fibrarum ductu muſculum ambire, ſed & eodem modo inter ſingulas ejus ſe inſinuare fibras tradit, ipſamque non communem eſſe omnibus muſculis, ſed cuivis muſculo ſuam, & ſingularem ineſſe demonſtrat. Explicata muſculi ſtructura ad ejus actionem, quam in contractione conſiſtere notum eſt, tranſit, eamque ope tendinis, ut vulgo credebatur, nullatenus fieri, neque omnino contrahi tendinem affirmat, ſed carnem inter expanſiones tendinoſas comprehenſam, quae in ſe contracta efficit, ut oppoſita duo vel plura ejuſdem muſculi ventris plana ad ſe mutuo (tendinibus nec longitudine immutatis neque craſſitie) propius accedant. Hiſce Steno aliiſque expoſitis, quae vel ſenſus deprehendere vel aſſequi ratio poteſt, ad extremum conficit cor animantis vitae fontem atque principium in muſculorum claſſe

jure cenſendum; nihil enim in eo deſiderari quod muſculo datum, nec quod negatum in ipſo inveniri; inde eos falli qui ajunt cor eſſe ſui generis ſubſtantiam, & certae ſubſtantiae, ut ignis, calidi, quemadmodum loquebantur, innati, & animae ſedem, atque uti ſanguinis, ita humoris cujuſdam, ſpirituumque, quos animales fortaſſe dixeris, officinam. Dum vero totam cordis fabricam perſequitur Steno, quanquam labi ille interdum, & confuſius atque obſcurius loqui videatur, nunquam tamen ſatis praedicari poteſt, quod inter primos ad eamdem fabricam contemplandam phyſicam adduxerit; & viam ceteris aperuit ad veritatem aut aſſequendam aut illuſtrandam. In eo quoque exquiſitiſſimis verbis laudatur ab Hallerio (10) quod ante omnes viderit externum fibrarum ſtratum utrumque ventriculum complectens, quodque fibras, quae ventriculorum caveas ſubeunt, deſcripſerit poſt eum a Pechlino dictas, eaſque etiam, quae circa conum reflexae ad baſim redeunt. Addere etiam potuiſſet Hallerius ſibi facem praetuliſſe Stenonem ad irritabilitatem fibrarum noſcendam, quod haud pauca ſint in eius ſcri-

ptis, & in iis praeſertim, quae ad cor ſpectant, quae haud immerito ſemina dixeris hujus praeclariſſimi inventi. Tanta porro Steno pollebat ſolertia in cordis anatome praeparanda, ut Ruyſchius (11) commemoranda putaverit bina quae ab eodem ſecta habuerat corda: nihil enim fieri iis poterat perfectius ad fibrarum praeſertim curſum noſcendum. Ad haec proditum ab aliis memoriae fuit, Stenonem maceratione, coctione, aliisque artibus in filamenta fere ad fumi modum tenuia cordis texturam reſolviſſe. Triennio poſtquam haec vulgaverat Steno, copioſius muſculi naturam, partes & fabricam, edito *Elementorum myologiae ſpecimine*, exponere eſt aggreſſus: ſed magis quam Anatomici Geometrae perſonam agere voluit, cum ad matheſeos regulas muſculi figuram apte redigendam, & juxta canones inde ſumptos ejus actionem explicandam ſuſcepiſſet, exiſtimans non poſſe muſculi diſtinctas partes nominari, figuram exprimi, motum definiri, niſi matheſeos ſubſidio myologia uteretur. *Et quidni muſculis id daremus*, ajebat Steno, *quod Caelo Aſtronomi, quod Terrae Geographi, quod oculis*

rei opticae ſcriptores conceſſere? Res naturales mathematice tractarunt illi, quo diſtinctior earum eſſet cognitio; & muſculos mathematice explicandos illorum fabrica quadam quaſi neceſſitate poſtulat. Sed quid muſculis ea vindico, quae toti corpori debentur? Organum eſt corpus noſtrum ex mille organis compoſitum, cujus veram cognitionem, qui abſque matheſeos ope inveſtigandam credit, ſine extenſione materiam, ſine figura corpus credat neceſſe eſt. Haec idcirco proferre volui, ut intelligatur, quare proximo exeunte ſaeculo mechanica, hydroſtatica, atque hydraulica dogmata in phyſiologiam traducta ſint. Quae res etſi habeat ſuas utilitates, habet quoque difficultates praecavendas. Multa enim ſunt in animali machina a communibus legibus mechanicis valde aliena: motus magni a parvis cauſſis excitati; celeritates humorum per eas cauſſas parum diminutae, a quibus per receptas leges eas frangi oportuerat; motus a cauſſis pene incognitis exiſtentes; motus vehementes a debilibus fibris geniti; decurtationes fibrarum omni ſupputatione majores; multa praeterea, quae rerum Opifex veluti quaedam myſteria naturae retruſa vo-

luit eſſe atque abdita. Neque his rebus repudiandas leges crediderim, quibus extra corpus animale vires motrices reguntur, id contendo nunquam transferendas ad noſtras animati corporis machinas, niſi experimentum conſenſerit. Sed ut ad praecipuum operis argumentum veniam, Steno poſtquam oſtendiſſet, qua ratione carneae fibrae in tendinem vel continuarentur vel inſererentur ad angulos obliquos, quos muſculos dixit pennatos, vel in multos lacertos ordinatae in unum tendinem convenirent, & qua ratione tendines aetate provectiore in oſſium ipſorum naturam coaleſcerent, demoſtrandum ſuſcepit muſculum dum contrahitur inflari ſolum poſſe ob mutationem figurae ex rhomboide in rectangulum, vel, ut ejus more loquar, ob mutationem anguli carnoſarum fibrarum cum tendinoſis; & hanc mutationem, dum muſculus movetur, neceſſario accidere debere: ex quo infert eos omnes falli, qui novam accedere materiam exiſtimabant ad inflationem efficiendam. Mirandum ſane eſt Stenonem fugiſſe rem Geometris notiſſimam; non poſſe, obliquangula parallelogrammata in quadrata abire aut rectangula,

quin nova accedat materies, qua majores tunc factae areae repleantur *. Objici & illud Stenonis doctrinae poteſt, in quo ipſa nititur; figura ſcilicet muſculorum. Sumit enim figuram parallelopipedam obliquangulam (licet enim iis Geometrarum vocibus uti) quam inter omnes maxime regularem iidem dicunt, propriam eſſe carnoſae muſculorum ſubſtantiae; tendinoſae autem figuram priſmatis tetragoni ſimiliter obliquanguli. Figuram hanc geometricam adamuſſim ita compoſitam ne notiores quidem magiſque regulares muſculi ſervant, ut ut ad eam proxime accedant: deeſt autem omnino multis in muſculis, qui per humanum corpus univerſum late funduntur, quique irregulares vocari conſueverunt. His accedit celebre idemque facile experimentum, quo perſuaderi videtur, muſculos, cum contrahuntur, mole deficere, non autem intumeſcere, ut cum plurimis aliis Steno ipſe docet. Claudit *Elementorum myologiae ſpecimen* epiſtola ad Thevenotium ex qua apparet ea quae tanquam nova propoſuit Steno de cor-

* Vid. Boerhaav. Praelect. Vol. II. §. CCCCXV. & Haller. in ipſum commentar.

de, & de vitelli in inteſtina pulli tranſitu, jure ſibi, contra ac nonnulli clamabant, vindicaſſe. Liquebat profecto Volkerum Coiterum apophyſeos ab inteſtinis ad vitellum meminiſſe, eamque modo canalem, modo meatum nominaſſe. Sed quam obſcure id fecerit vel inde patet, quod nec Harvejus, nec Anatomicorum alii, qui Scriptorem illum ſedulo evolverunt, in ejuſdem rei ſuſpicionem venire potuerunt. Poſtquam ſua ediderat Steno ex amicorum litteris didicit, Huibertum & Meibonium eumdem canalem anteà obſervaſſe. Quibus ita reſcripſit ſibi gratulari ſe non ab aliis monitum eadem quae doctiſſimi viri obſervaſſe, nec moveri quod poſt alios haec viderit, modo non ſurripuiſſe accuſaretur (12). In iis quae ad cor ſpectabant viſus eſt nonnihil loci iniquioribus dediſſe lectoribus ſecus exiſtimandi. Sed ingenue aperteque confeſſus eſt, nunquam ſibi tantum ſumpſiſſe, ut homines judicarent ſe omnium primum docuiſſe cor muſculum eſſe, & in modum ſpirae revolutas habere fibras; verum in eo gloriari, quod medium cordis carneas fibras, extremum tendinoſas eſſe demoſtraverit, quodque finem

impoſuerit controverſiae, in qua Hippocratis & Galeni ſectatores, Andabatarum fere more pugnabant, quid oppugnarent ac defenderent aut neſcii aut ſaltem incerti. Quoniam vero fundamenta ejus de corde doctrinae maxime nitebantur in fibra motrice, plura expoſuit argumenta atque experimenta, quae magis magiſque comprobabant, illam in omnibus non hominis ſolum, ſed & cujuslibet animantis muſculis ineſſe. Extrema in epiſtola iis demum ſatisfecit, qui myologiam ſatis illuſtratam eſſe putabant; eademque occaſione recenſet ea quae in muſculorum hiſtoria reſtabant indaganda; de qua, ut de oſſibus, plura ſcribere ſibi propoſitum fuiſſe ait. Abſoluta epiſtola ut varietate lectores oblectet, referet ea quae in diſſectione capitis canis carchariae, & alterius piſcis ex canum genere obſervaverat; quae quidem aliis obſervationibus illuſtrata non mediocriter zoologiam auxere. Principio confirmavit opinionem, quam in Rajae anatome explicanda antea propoſuerat de fontibus unguinoſi humoris piſcium ſuperficiem oblinentis ad obſtantes aquas facilius findendas, & de vaſis excretoriis quae a

glandulis, ut ipſe putat, oriuntur, ſive glandulae iſtae cuti ſubſternantur, ſive intexantur, ſive utroque modo ſint diſpoſitae. Cutis ipſa craſſa admodum & dura tot tantosque in cane carcharia muſculorum tendines excipiebat, ut tota nil niſi tendinum iſtorum textura videretur. Quod idem cum in aliis piſcibus, & in ſerpentibus quoque obſervaſſet, ſuam correxit ſententiam, quam Rajae anatomen exponens in medium attulerat, videlicet tendineas fibras non cuti inſeri & continuari, ſed in membranam cuti arctiſſime junctam tantummodo porrigi. Hoc loco oſtendit etiam, qui muſculi in humano corpore tendines cuti habeant continuatos; & ex multis allatis hiſtoriis certe concludere ſe poſſe putavit maximam cutis partem, ſecus ac alias docuerat, ex fibris arteriarum, venarum, nervorum & tendinum contextam eſſe. In eo quidem deceptus eſt Steno cum in admodum paucas humanae cutis partes ipſi tendines deſinant, ac facili negotio, ubi deſinunt, per artem anatomicam ſeparentur. Sed parcendum eſt viro, qui plerumque in corporibus dumtaxat brutorum animantium ſuas obſervatio-

nes inſtituere potuit, ac de homine per analogiam quaedam minus vere intulit in iiſdem brutis feliciter animadverſa; quod ex iis etiam, quae infra de oſſium origine dicemus, apparebit. Idem ex demonſtrata tendinum in cutem inſertione evidens eſſe ait, quid de pleriſque membranis ſtatuendum; non illas ſemper tunicas eſſe, quae vicinas partes contingerent, hiſque tenaciter adhaererent: ſed illas eſſe perſaepe iiſdem continuatas & junctas ob fibrarum a tunicis in partes vicinas, aut a partibus vicinis in tunicas tranſitum. Oſſium vice erat in cane carcharia cartilago. An ut in animalibus aliis oſſa, ſic in hujus generis cartilago magnam partem conſtet ex fibrarum motricium extremitatibus, quamquam dubitari jure poſſit, id tamen manifeſtum eſſe tradit Steno, partem duriorem harum cartilaginum innumerabiles tendines excipientem ex iiſdem tendinibus quaſi totam conſtare. Poſtquam Steno non ſolum carchariae canis, ſed aliorum etiam animalium dentes examinaſſet, tria haec concludere ſe poſſe putavit; primum dentium materiem initio mollem, proceſſu temporis, ut reliqua oſſa, indureſcere; alte-

rum eſt, hanc duritiem ab apice incipere, & hac in re eos differre ab reliquis oſſibus, in quibus fere omnibus primi nodi circa medium conſpiciuntur; illud vero extremum fuit, duplicem eſſe dentium ſubſtantiam, externam alteram, alteram internam, neque hanc membranae nomen mereri. Haec pauca admodum eſſe intelligebat Steno ad obſcuram dentium naturam cognoſcendam; dolenſque ex hujus ignoratione multa evenire mala, ejuſdem ſe fore diligentem indagatorem pollicitus eſt; quod promiſſum ſi exolvit, cum in publicam lucem nihil protulerit, haud exolviſſe videtur. De Gloſſopetris majoribus, quos veros eſſe canis carchariae dentes haud dubitat, pluribus diſſerit, eritque alius opportunior rationum hujuſmodi ſententiae exponendarum locus. Non minus ſolertem accuratamque deſcriptionem inſtituit Steno corporis partium; quas in altero diſſecando piſce animadvertit, E quibus illa maxima ſunt commemoranda, quae de ovario, oviductu, & ovo expoſuit; cumque jam vidiſſet eorum teſtes animantium, quae vivos ex ſe procreant foetus ova in ſe continere, notaviſſetque eorumdem uterum

itidem in abdomen, oviductus inſtar apertum eſſe, ſe non amplius dubitare ait, quin mulierum teſtes ovario ſimiles ſint, quocunque modo ex teſtibus in uterum ſive ipſa ova, ſive ovis contenta materia tranſmittatur, de quo invento, quod omnes maxime celebrarunt, ſeparatim & diſtinctius ſe acturum ſpopondit. Fecit autem peculiari commentario; idque a Thoma Bartholinio relatum fuit in Acta medica Hafnienſia. Declarat nomine ovi ſe appellare veſiculas rotundas; quae teſtes magna ex parte formant, hos vero ovariorum, & tubas cornuaque & uteros oviductuum nomine deſignare. In medium attulit magnam obſervationum copiam quas ex plurimis diſſectis animalibus, vaccis praeſertim, collegit; hiſque ſe demonſtraſſe putat in omnibus feminis haec ova ineſſe; eadem cocta gallinaceorum more coagulari; cum vero habuere maturitatem quamdam ſuam per ſuperincumbentes tubas in uteri cava deſcendere. In cadavere cujuſdam mulieris, quae annos circiter L. habebat invenit ovaria plena veſicularum; cum premeret cervicem uteri ſeroſus inde prodibat humor. In rotundo liga-

mento uteri fibras motricibus ſimillimas vidit; quae os pubis verſus abibant. Secuit deinde duas alias feminas ejuſdem ferme aetatis, & in unius teſtibus obſervavit nonnulla arenoſa grana, & binos calculos, quorum unus rotundus erat & minutiſſimus, major alter & plurimis tuberculis inaequalis. In uno teſte alterius mulieris erat corpus tuberoſum figura ſimile poſterioris, de quo diximus, calculi, materia vero proſus diſſimile, cum haec non multum differre videretur ab illa ipſorum teſtium. Quartam ſecuit mulierem, & hanc juniorem, in qua multa erant ova & rotunda, nec ejuſdem magnitudinis omnia, omnia tamen vix ſeparabilia propter ſoliditatem materiae, qua continebantur. In quinta demum muliere attente obſervans ligamenta rotunda uteri, invenit vaſa ſanguinea nervos, & fibras carnoſas uteri ſubſtantiae contiguas. Tubae extrema laciniata diſtincta erant ſanguineis vaſis per longitudinem excurrentibus, fere ut in branchiis piſcium. Intra tubas fibrae in longum pari ratione progrediebantur. Inflatus aer ex tuba in uterum tranſibat. Nemo fuit iis temporibus alicujus nominis Philoſo-

loſophus; qui Stenonis doctrinam de ovis viviparorum minime ſit ſecutus; & quamvis multi ipſam hodie deſeruerint, non tamen eadem plane defeciſſe videtur. Quid ſentiendum in re dubia minime pronuntiaverim contentus admonuiſſe Lectores Graafium & Van-hoornium fruſtra inter ſe pugnaſſe, cum eorum quilibet hujus inventi gloriam ſibi tribuendam eſſe contenderet; hanc omnium conſenſu Stenoni deberi (13); quamvis ejuſdem rudimenta quaedam & veſtigia reperiantur in Hippocrate, in Ariſtotele, recentioribus praeterea quibuſdam Matthaeo de Gradibus, Coitero, Aldrovando, Fabricio denique ab Aqua pendente. In exponendis iis, quae ad myologiae ſpecimen & ad viviparorum ova ſpectant, argumentorum magis, quam temporum ordinem ſum ſecutus; quem ut repetam, neceſſe erit cum Stenone ad Batavos reverti. Ibi cum ad enumerandas totius corporis glandulas, & ad miram cordis fabricam indagandam unice eſſet intentus, de morte cariſſimae matris, aliorumque propinquorum acerbum nuncium accepit. Hic non modo ſtudiorum, ſed & vitae pene jucunditatem illi ademit; & quo

rebus ſuis conſuleret (nam patrem antea quoque amiſerat) Hafniam redire coactus eſt. Non diutius ibi manſit cupiens Galliam & Italiam inviſere. Cumque Pariſios an. MDCLXIV. veniſſet, exceptus hoſpitio fuit a Thevenotio; illiuſque conſilio & ſubſidiis factum eſt, ut ſtudia anatomica repeteret, & in chemicis, duce praeſertim Petro Borello, plurimum ſe exerceret. Hoc ſibi multo jucundius & gratius accidiſſe dicebat Steno, quod in magna paucitate amicorum, propinquorum, ac neceſſariorum, qui vere ſtudiis & rebus ſuis faverent, illum cupidiſſimum ſui, ſingularemque ſibi benevolentiam ſemper praeſtitiſſe cognovit. Itaque in hoc ſibi gratulabatur; nec mediocris illa quoque erat cauſſa gratulationis, quod flos doctorum virorum domum Thevenotii, tanquam Academiam, frequentaret. In tanto conventu ſaepe ſua expoſuit Steno (14); & ex his maxime commemorabimus, quae cerebri antomen illuſtrant, quaeque ab ipſo in lucem ſunt edita. Principio probat quam illus natura ſit obſcura, & quam difficiles explicatus habeat. Quamvis enim animus hoc maxime inſtrumento utatur, &

nihil eſſe videatur, quod ipſe mirabili quadam vi rationis, & cognitionis & ſcientiae aſſequi non poſſit, nihilo tamen minus cum domum, ut ita dicam, ſeſe recipit, neque hanc, neque ſe ipſum noſcit. Multa quae iis temporibus vulgo tradebantur diluit Steno, & falſa eſſe docet; irridetque eos, qui nominibus contenti albidae & cineraceae ſubſtantiae, nil aliud quaerere videbantur. Albidam praeſertim ſubſtantiam fibris praeditam eſſe oſtendit, & has miro quodam ordine diſtribui atque diſponi. Enumerat varias phyſicorum opiniones de ſeparatione humoris, quem ipſi nominant liquidum animale, haſque omnes valide convellit. Dubitari poſſe ait an humoris, qui in nervos influit, eadem ſit materia quae lucis, qua de re ei non ſolum magnam laudem, ſed etiam gratiam habebunt, qui nervis *fluidum electricum* tribuunt. Suam rationem in diſſecando cerebro hanc docet fuiſſe, ut ſequeretur nervorum fila intra ipſam cerebri ſubſtantiam videndi cauſſa qua tranſeant, & quo pertineant. Haud diſſimulat difficillimam eſſe hanc rationem, ſed reliquis omnibus praeferendam. Pene iraſci & ſuccenſere iis videtur qui non

intelligebant, quam in inquirenda cerebri natura neceſſe eſſet haud variare illius poſitionem. Erant enim nonnulli qui quibuſdam ejuſdem partibus locum illum aſſignabant, quem non natura dederat, ſed qui commodior & aptior erat ad id, quod perſuadere volebant. Willis & Carteſii συςήματα nihil ei videtur abſurdius; & inter cetera oſtendit horum poſtremum non bene noviſſe locum glandulae pinealis, cum eam non poſterius, ſed anterius inclinatam eſſe crediderit. Quaerit utrum ventriculi tales ſint, quales vulgo deſcribuntur, probatque ex varia illos diſſecandi ratione variam ipſorum formam apparere. Sunt in hoc opuſculo multa alia, quae non parum adjuvant praxin Anatomiae, & ad indagandam, atque e tenebris eruendam veritatem vias tradunt. In his vero omnibus ſemper elucet mira Auctoris prudentia, modeſtia, ac ſimplicitas, adeo ut vere praedicatum fuerit ab Hallerio (15) virum fuiſſe induſtrium, candidum, innocuum & magnum inventorem. Poſtquam Steno amori ſuo in phyſicas facultates, quantum ſatis eſſe videbatur, in Gallia obſecutus eſſet, in Italiam

venit exeunte vere an. MDCLXVI. manendique in Etruria caussa fuere Etruſcae linguae optimarum artium, & philoſophiae ſtudia. Florebant enim tum homines doctrina praeclari Franciſcus Redius, Vincentius Vivianius, Carolus Datus, Laurentius Magalottus, aliique plures, qui cum intelligerent, quanto decori & utilitati futurus eſſet Steno Mediceis Principibus, optimiſque diſciplinis, quae ab Academia praeſertim *del Cimento* excolebantur, de illo retinendo elaborarunt. Unus fortaſſe Borellius invidebat laudi Stenonis aegre in primis ferens ab illo res tractari, quae ad myologiam pertinebant, in quibus ipſe quoque ita verſabatur, ut veri inveniendi cupiditati adjuncta eſſet appetitio quaedam principatus. Et ſane operis ſui *de motu animalium* initium fecit a cenſura formae muſculorum, & mechanicae illorum actionis, quales a Stenone expoſitas fuiſſe diximus. Porro Magnus Dux Ferdinandus, illiuſque frater Leopoldus non habuere quidquam antiquius quam ut familiaritate, ſummiſque beneficiis ſibi Stenonem devincirent; nec credibile eſt quantis exultaverint gaudiis, cum ipſe ineunte Novembri

an. MDCLXVII. Lutheranae Sectae, ut Catholicam amplecteretur, nuntium remiſit. Non commemorabo quomodo res ſit geſta; & quomodo divinae gratiae ſemina inciderint in concipientem comprehendentemque naturam, nactaque ſint materiem, ut ita dicam, qua ali, augeri, & miros procreare fructus potuerint, cum haec omnia ſciri poſſint ex ipſo Stenone, & ex iis, quos conſiliarios & auctores ſuae ſalutis habuit. Eorum enim hac de re litteras retuli in II. Volumen operis, quod inſcripſimus: *lettere inedite d' uomini illuſtri*. Quoniam vero vita quidem talis erat Stenonis, taleſque mores, ut nihil videretur poſſe accedere, ſe habere exemplum innocentiae gloriabatur Magnus Dux Ferdinandus, quod omnes ac filii praeſertim ſui, imitarentur. Sed tanta virtus, tantaque vis ingenii abfuit aliquandiu ab oculis Etruriae, cum is non ſolum invitatus, ſed pene coactus fuerit ann. MDCLXVIII. Danos ſuos reviſere (16). Dum ſe ad proficiſcendum pararet typis commiſit *Prodromum Diſſertationis de ſolido intra ſolidum naturaliter contento*, ut aliquo modo Ferdinandi ſtudiis faceret ſatis. Hic enim noſcens miram Stenonis intel-

ligentiam in rebus naturalibus facile ab ipſo obtinuerat, ut argumentum omnium difficillimum, unde multa corpora ſint orta; generata & concreta tractaret. Hanc Diſſertationem Etruſce ſcribendam ſuſceperat Steno, quo benemerereretur de Furſureorum, ut vocant, Academia, in quam cooptatus fuerat; & quo multae res, quae ad Etruriam pertinebant notae ac manifeſtae fierent omnibus illius incolis. Dolendum vero omiſiſſe ea quae in manibus habebat; nihilque ad nos perveniſſe niſi Prodromum illum, in quo tres opiniones exponit jam tum apud phyſicos celebratas de origine teſtaceorum foſſilium, aliorumque corporum, quae animalia vegetabilia appellantur, quaeque in ſuperficie, ſive in viſceribus montium aut collium inveniuntur. Jam tum erant aliqui, qui cum numero potius quam ſtructura talium corporum, quae nunquam ſatis apte perpenderant, commoverentur, ipſa a terra genita eſſe affirmabant cryſtallorum inſtar & ſalium, & earum, quae marcheſitae dicuntur. Alii credebant a mari adveniſſe, & ipſo mari olim detumeſcente, ac cedente, ſolo adhaeſiſſe iis in locis, in quibus repe-

riuntur: alii demum partem eorumdem corporum terrae, partem mari acceptam referebant. Ipſe autem Steno acerrimus indagator venatorque naturae alteram illam opinionem amplectitur, validiſque rationibus, tum experientia tum dialectica innixis oſtendit, foſſilia teſtacea fuiſſe animalium plerumque marinorum ſpolia. Inter multa obſervata a tanto viro & animadverſa praeclare, mirum profecto accidit ipſum cum tot foſſilium, oſſium gigantum & elephantum invenire vellet originem, eamdem magna ex parte ab elephantibus repetiiſſe in Etruriam ab Hannibale deductis. Etenim hiſtoria docet illuſtrem eum Ducem poſt alpium tranſitum non alios niſi unum, aut ad ſummum duos elephantes habuiſſe. Admodum perſpicue demonſtrat terrarum ſtrata, quibus montes & colles componuntur, ab aquis fuiſſe relicta. Animadvertit etiam omnia illa ſtrata initio parallela ad horizontem fuiſſe ſita; majorem autem aut minorem, magis aut minus perfectam inclinationem eorumdem ad horizontem aut caſu aut ab igne ſubterraneo extitiſſe; qui cum immenſa vi in altum ſtrata projiceret.

efficiebat utique ut ea recidentia in ſuppoſitas voragines, figura ipſa haud leviter immutarentur: repeti etiam a ſubterraneis aquis miraculi cauſſam poſſe, quae aquae cum eadem ſtrata ſubter corroderent, cavernaſque efformarent, id praeſtabant, ut ipſa proprio lata pondere, fornicem, ut ita dicam, ipſarum cavernarum diſrumperent. Hinc vero fieri debebat, ut cum cavernarum lacunas ipſa replerent, aut magis aut minus ad horizontem inclinari debuerint, quod perſpicue appoſita libro figura idem Auctor oſtendit. Ejus autem doctrina in eo praecipue eſt, ut ſex ſuccedaneas facies aut ſtrata terreſtris globi conſideret. Prima facies ea eſt qua globus univerſus aquis contegebatur, quo tempore neque animalia neque vegetabilia exiſtebant; quod quidem etiam ſacrorum librorum auctoritate confirmat. Jam vero ab aquis hiſce relicta ſtrata unius formae eſſe debent, neque partes aliquas animalium ſive plantarum, aut vegetabilium amplecti. Altera facies plana eſt atque arida ipſius globi, quem aquae reliquerant, animalibus plantiſque diſtincti. Tertia facies eſt aſpera & inaequalis, quam aut i-

ignis, ut diximus, aut aquae ſubterraneae induxerant. Sequitur eam quarta facies, cum iterum diluvii aquis globus univerſus contectus eſt, quae ſcilicet cum terrea multa relinquerent ſpoliis, ac partibus etiam animalium atque plantarum immixta, novis terrarum ſtratis valles repleverunt, iterumque planam globi faciem exhibuerunt. Hinc cum aquae marinae conſediſſent, ea quinta facies aeque in omnes partes fuſa, eademque arida globi extitit. Sed ignis & aquae ſubterraneae adſpectum terrae, qua diximus ratione, aſperum effecerunt, atque ſtratorum ordinem multis in locis immutarunt; ex quo factum eſt ut quae ad horizontis normam jacebant, aliis modis diſponerentur, & alias in figuras evaderent, quae nunc a nobis animadvertuntur. Hoc quidem ſyſtema ſuis laborat difficultatibus ac vitiis: Fatendum tamen eſt doctiorum recentiorum his de rebus excogitata vel eodem numero, vel fortaſſe majore difficultatum premi. Praeterea de varia cryſtallorum & marcheſitarum, quas diximus figura ac generatione admodum accurate loquitur Steno, oſtenditque neque tempori ſe, neque labori

pepercisse, ut omnia haec ſuas in claſſes diſtributa cognoſceret, earumque naturam penitus inveſtigaret. Quare fecit, ut judicaverint homines doctiſſimi, non facile ſtatui poſſe magis ne anatome excelluerit Steno, an hiſtoria naturali. In utraque certe diſciplina ſe exercendi infinita propemodum ſubſidia ac commoda habuit a liberalitate magni Ducis, eaſdemque plurimum auxiſſet, ſi ea in vulgus omnia edidiſſet, quae in Etruria degens ſepoſuerat. Quantam cupiditatem naturae inveſtigandae hominibus injiceret Princeps, ſi quis unquam alius ſcientiae cupidiſſimus, saepe a nobis commemoratum eſt; nec dubitamus hoc in maxima ejus laude ponere, quanquam omnibus fere laudibus celebraretur. Cum domi ſuae collegiſſet magnam rerum copiam, quae ad hiſtoriam naturalem pertinebant, earum ordinandarum, explicandarumque curam Stenoni dedit. Hic vero deſiderio Principis non ſolum Florentiae, ſed etiam Piſis cumulatiſſime ſatisfecit, cum Piſana Academia ipſa quoque haberet ſuum muſeum, quod operam Stenonis deſiderabat. Extant adhuc quae ipſe hac occaſione ſcripto mandavit, ex quibus

ejus diligentia & doctrina facile cognoſci poteſt. Ex multis vero obſervationibus anatomicis, quas juſſu Ferdinandi fecit, relatae nonnullae fuerunt cum aliis ipſius ſcriptis in Acta medica Hafnienſia, ex quo libro commemoranda ſeligemus, quae magis favere Stenonis gloriae videntur. Ut autem a laudabilioribus ordiamur, de ovo & pullo ea tradidit Steno, ut amplius dubitare non poſſimus, quid ſit in ovo, quod formando nutriendoque pullo inſerviat. Hiſtoriam muſculorum aquilae ſic contexuit, ut eam laudare praeſertim debeant, qui ſciunt nihil rarius fuiſſe apud phyſicos ſcriptores ſuperiorum temporum novitate rerum obſervatarum, ſolertia & acumine in ipſis peragendis obſervationibus, harumque accurata & facili deſcriptione. Poſtquam diu multumque in fele examinaſſet periſtalticum inteſtinorum motum, vaſorumque biliariorum multos magnoſque tumores, ad cor, in quod praecipue inquirebat, remeavit, in eoque quieta omnia eſſe invenit. Sed vix ter quaterque digitis ipſum compreſſerat, cum illico reddi ei & venae cavae ſuos motus & hos diſtinctos, quamvis raros admodum,

non ſine admiratione obſervavit. Renovavit idem experimentum in cane, qui diu mortuus eſſe videbatur, renaſcebaturque motus non ſolum ſi premeret cor, ſed etiam ſi pungeret dextrum illius ventriculum. Pars ventriculorum ex muſculi maſſa ſeparata certo quodam tempore movebatur. Cor canis occiſi haud multo poſtquam in lucem venerat rubeſcebat quando dilatabatur, ſeu quando illius acies recedebat a baſi, ipſa vero accedente, palleſcebat. Motum auricularum non ſemper reſpondere putavit motui ventriculorum cordis. Vena cava ipſa quoque motum ſibi proprium habebat. Motus auriculae ab uno incipiebat angulo, & in alterum deſinebat. Idem pro certo ſe habere dicit praeſentiam ſanguinis in corde ad hujus pulſationes conferre plurimum. Motum cordis in foetu cuniculi examinans, illud diſtendi notavit, ubi ſeſe contraxerat. Poſtquam plane ceſſaverat motus in cordis ventriculis, animadvertit dextram auriculam moveri, cumque ipſa quoque moveri deſiiſſet, motus ſignà in vena cava dumtaxat apparebant. Si ſpiritum immitteret, aut digiti extrema cordi admoveret, in eo motus iterum exiſtebat. Ex

quibus aliiſque rebus tria haec inferri ſe poſſe putavit: primum preſſione, punctione, flatu, & calore motum in corde renovari; deinde motum hunc non eſſe univerſae cordis ſubſtantiae, ſed ſingularum fibrarum, quamvis hae extremitatibus ſuis careant; denique non eodem tempore contrahi fibras omnes, ſed ſenſim & continuata motione quadam ab uno in alterum extremum, eodem ferme modo quo periſtalticus in inteſtinis motus peragitur. Plura ſe explanaturum promiſit Steno in magno opere, quod in manibus habebat de cordis fabrica, cujus rei ſi non perfectio, at conatus tamen & adumbratio plurimum laudanda eſt. Quae *de utero leporis proprium foetum reſolventis* tradidit Steno declarant qua ratione opus ipſa ſuum eadem, quae coagmentavit, natura diſſolvere potuerit. Et poſtquam cauſſas hujus diſſolutionis ille expoſuiſſet, minime ſe dubitare dicit, quin intra uterum diſſolutae quaedam molliores foetus partes per venarum oſtia novum ſanguini humorem, quo alatur mater, praebere poſſint. Hoc eodem loco expoſuit Steno notata a ſeſe in diſſectione duorum anſerum, quae probare videntur unde

eſſe poſſit magnum jecoris incrementum, & varietas coloris in ſanguine. Quae vero ſigna naturae dare poſſit haec varietas, ipſius Stenonis teſtimonio, habitiſque ab eo experimentis declarat Thomas Bartholinius in libro, quem inſcripſit *Opuſcula nova Anatomica* (17). Diſſecuit Steno vituli monſtroſum caput, in cujus cerebro magnam aquae copiam libras fere IV. pondo, & ſub cranio in narium radice apoſtema invenit tribus digitis longum, ſeſquidigito latum, & digito fere profundum, repletumque materia quadam alba & pingui. Aqua ſapore ſalſo & colore rubicundo praedita erat: adeo vero ipſa dilataverat cava cerebri, ut aegre cerebrum in ipſo cerebro inveniſſes. Cranium vacuae cucurbitae erat ſimillimum. Quamvis magna facta eſſet mutatio in cerebri fabrica ob aquae copiam, nihilo tamen minus, quod praecipue erat mirandum, unio manebat tuberculorum ſecundi paris, & glandula inferior, quam pituitariam dicunt a pleriſque Anatomicorum imbibendo cerebri ſero deſtinata magnitudinem, colorem, ceteras notas, quibus diſtingui ſolet, integras, nullaque ex parte deformatas habebat: tan-

tummodo ſupernatabat ipſi magna ſeri copia. Unde haec aqua & qualis; quando circumjacentes partes coeperit dilatare; quare in latera ſuam maxime vim exercuerit, acute ſane & docte inquirit Steno: qua in inquiſitione multa profert ad obſcuram cerebri naturam & fabricam illuſtrandam utiliſſima. Haec omnia expoſuit Steno italica epiſtola, quam menſe Junio an. MDCLXIX. Oeniponte dedit ad Ferdinandum Mediceum, ut ad hominem harum rerum non ſolum curioſum, ſed etiam aeſtimatorem aequum & judicem. Libenter referrem alia obſervata a Stenone, ut zoologiam augeret, quae commemorata ſunt a Redio, a Scriptoribus Actorum Academiae Londinenſis (18) aliiſque plurimis, niſi ego nimis multa me jam retuliſſe vererer. Etenim in omni re videndum eſt quatenus: etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium quam parum. Vereor etiam ne ſecutus exemplum videar Stenonis, qui interdum obſcure & confuſe loquitur. Perſpicuitatem quidem ſemper amavi, neque me poenitet aliquando ei poſthabuiſſe puriorem elegantiam latini ſermonis, cum non dubitaverim uti verbis doctri-

ſtinarum, de quibus neceſſe eſt loqui, propriis, quanquam minus Latinis. Nam illarum finibus longius prolatis, multa etiam vocabula neceſſe fuit in cenſum recipi, & Latii quaſi jure donari. Sed ad Stenonem revertor, qui cum, ut diximus ſupra, in Daniam rediiſſet, hortantibus amicis, ipſoque Coſmo III., qui Ferdinando Patri an. MDCLXX. Magnus Dux ſucceſſerat, ut Etruriam reviſeret, morem ipſis gerendum putavit. Hoc in tempore num aliquid ſcripſerit ad naturae ſcientiam illuſtrandam ignoro. Erat quidem ſaepe cum Redio, nec otioſi poterant eſſe talium virorum congreſſus, habebatque commercium obſervationum naturalium, cum Marcello Malpighio, cum quo antea Romae non modo amicitiam, ſed & hoſpitium fecerat. Deſeruit iterum Etruriam Steno menſe Majo an. MDCLXXII. traditurus publice anatomen regio in theatro Hafnienſi, in quo praeteritis temporibus eamdem facultatem docuerant Simon Paulli, & Thomas Bartholinius. Extat in volumine III. Actorum medicorum Hafnienſium *Prooemium*, quo Steno munus ſuum ingreſſus eſt. In eo expoſuit quantae utilitatis ſit anatome ad prae-

cavendos & curandos morbos, in quo is ni-mium arti ſuae conceſſit, ut opinor, facile excuſabitur. Eſt enim hoc in hominis natura poſitum, ut quam quiſque novit artem, de ea praeclaram opinionem & habere ipſe ſoleat, & ab aliis haberi velit. Oſtendit etiam quantum ipſa conducat ad naturae Auctorem noſcendum admirandumque; neque illam horridam & moeſtam eſſe, ſed jucundam oblectantemque mirum in modum ſtudioſos illius. Extrema denique oratione, quae nec elegantia, nec eloquentia, neque eruditione commendatur, proponit Steno rationem, quam tenere meditabatur in erudiendis iis, qui theatrum frequentaſſent. Quanquam Steno propter multas ejus virtutes, ſingularemque doctrinam magno apud ſuos eſſet in pretio, non effugit tamen multorum invidiam. Interdum etiam ferre debuit accuſatores acres & moleſtos, qui ei probro verterent, quod Lutheranorum caſtra deſeruiſſet. Quapropter ut Catholicae religionis officiis ſecurius vacaret, tanquam in portum, in aulam Coſmi Medicei confugit, a quo ad inſtituendum filium ſuum Ferdinandum in morum diſciplina liberaliter ſane invitabatur. Ex

Hoc tempore vale dixit Steno naturalium diſciplinarum ſtudiis (19); & novum vitae curſum ingreſſus eſt. Factus Sacerdos an. MDCLXXV. nil aliud agere & meditari videbatur, niſi ut in ſe ipſo abſolutionem & perfectionem omnium magnarum virtutum haberet. A qua quamvis non multum abeſſet, nondum tamen fundamenta, quae cogitabat, jeciſſe ſibi videbatur. Nemo enim illo magis modeſtiam ſervavit, nemo magis ſubmiſſe in omni vitae actione ſe geſſit. Graviſſimum teſtimonium Cardinalis Nerlii Archiepiſcopi Florentini, de ſingulari Stenonis in Deum pietate, integritate, patientia, paupertatis amore, ſtudio devios in rectam viam reducendi, omneſque juvandi retulimus in I volumen epiſtolarum clarorum virorum, de quo ſupra mentionem fecimus. Neque homini tot virtutibus praedito difficile eſſe debebat ad omne officii munus inſtruere Principem, qui quidem ſummam ſpem praeceptoris & civium, quam de eo jam puero conceperant, continuo adoleſcens ſuperavit. Biennium praefuit huic muneri Steno, eoque expleto, obtulit Principi librum, in quo breviter comprehenſis graviſſimis ſenten-

tiis, quaſi oracula ſapientiae ediderat ad be-ne beateque vivendum, remque publicam gu-bernandam. Qui igitur Ferdinando ex Steno-ne fructus debebantur, ille uberrimos prae-ſtantiſſimoſque cepit; dolendumque maxime iis diuturnitatem temporis defuiſſe. Per haec tempora advectus Florentiam eſt Gaſpar Bar-tholinius diſcipulus Stenonis cum fratre & le-viro Oligerio Jacobeo. Lacerabatur animus Stenonis cogitans homines cariſſimos in iis, quae ad religionem ſalutemque pertinent, de-vios errore delectari ſuo; nullique ſane pepercit induſtriae, quo eorum mentes ad veritatem, atque ad officium revocaret. Quae-dam etiam ſcripſit opuſcula, quae & iiſdem hominibus, & aliis quamplurimis magno uſui eſſe poſſent. In iis enim expoſuit rationes & vias, per quas ad amplectendam Catholicam religionem traductus fuit, & Haereticorum dolos & machinas quaſdam detexit irriſitque. Id inique adeo nonnulli eorum tulerunt, ut Jenae publice propugnaverint ediderintque *Diſ-ſertationem*, ſicuti ipſi appellavere, *Theologicam*, qua omnia prolata a Stenone, mendaci ſane trutina, examinarunt, illa redargui & con-

vire poſſe ſperantes. Ut autem omnia conſilia & facta ſua ad virtutem atque ad aliorum bonum referebat Steno, ita minime Joanni Friderico Principi Brunopolitano, qui Catholicae religioni nomen dederat, recuſavit, ut in illius ditione Epiſcopi munus ſuſtineret. Ipſe Romanus Pontifex, ad cujus aures fama pervenerat de Stenonis ſanctitate, eidem hortator atque auctor fuit, magno animo ut onus ſuſciperet; creavitque Titopolitanum Epiſcopum, poſteaque Vicarium Apoſtolicum in omnibus Boreis regionibus declaravit. Provinciae Magalopolitana & Hannoverana fuerunt principio quaſi theatrum illius vere ſingularis ſtudii in Catholicam religionem. Mortuo Friderico, ſolum mutare coactus, domicilium Monaſterii fixit. Inde quoque non multo poſt diſceſſit ob offenſum ejuſdem civitatis Epiſcopi animum, cui exprobraverat, videri illum omnia omnium concupiſcere, quod non contentus Colonienſi, alteroque Epiſcopatu, tertium contra SS. Canonum decreta efflagitaret. Scriptum invenio nihil non egiſſe eo tempore Arnaldium, qui optime noverat ſingularia Stenonis merita, ut *Suffraganeus* adſciſce-

retur ab Archiepiſcopo Auguſtae Trevirorum: ſed contra obſiſtentibus Jeſuitis, qui Stenonis ſeveritatem verebantur, ipſe repulſam tulit. Itaque Steno aliquandiu manſit Hamburgi, ac demum Sverinum in veterem ſedem Ducum Megalopolitanorum venit. Vidiſſes hominem omnia libentiſſime incommoda ſubire vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, ut lucem ſalutemque, quacunque poſſet, afferret; contigitque ei, quod haud ſcio an nemini, ut vel pervicaciſſimos Haereticorum, quos in rectam viam minime deducere potuit, in ſui amorem & admirationem plerumque traheret. Continuis laboribus ac corporis afflictationibus oblanguebant quotidie magis vires illius; ſed ferventius erat ſtudium in rempublicam Chriſtianam. Succubuit denique, ceſſitque languori, acerbiſſimisque doloribus, quos colum & calculus in veſica peperit. Quater antequam moreretur (20) de rebus divinis ad populum verba facere voluit, & ſemianimis ſcripſit ad Magnum Etruriae Ducem, commendans ei tres praeclarae virtutis homines, quos ſecum habebat. Profecto omnia ſumma in Stenonem Coſmi me-

ri constitere. Pecuniam ei ſuppeditabat, qua & ipſe aleretur, & alios etiam ſublevaret. Ejus commendatione & conſilio certum hominem Hamburgi habebat, qui ſua negotia procurabat; & ſumma omnium fere mandatorum erat, ut ad omnia, quae Steno vellet, praeſto eſſet. Juvit etiam pecunia, aliiſque rebus Jacobum Benignum Winslowum doctum ſane virum, qui magnis propinquitatis vinculis cum Stenone erat conjunctus, poſtquam is Pariſiis opera & conſilio Boſſuetii Lutheranis renuntiavit. Et ut ubique extarent ſingularis ſui in Stenonem amoris indicia, cum an. MDCLXXXIV. mortem obiiſſet is, qui Liburni praeerat Eccleſiae principi, nihil non tentavit Coſmus, ut in illius locum Steno ſuccederet, rogans eum, ut valetudini indulgeret ſuae, cui quidem, dum commodis animarum conſuleret, illum non ſatis ſervire ſciebat. Demum quem vivum haud potuerat, mortuum ſaltem recuperare voluit; ejuſque corpus Swerino, ubi vita deceſſerat, Florentiam adſportari juſſit, ſepelirique in Laurentiana Baſilica cum hac inſcriptione.

NICOLAI STENONIS
EPISCOPI TITOPOLITANI
VIRI DEO PLENI
QUIDQUID MORTALE FUIT
HIC SITUM EST
DANIA GENUIT ETHERODOXUM
ETRURIA ORTHODOXUM
ROMA
VIRTUTE. PROBATUM SACRIS INFULIS
INSIGNIVIT
SAXONIA INFERIOR
FORTEM EVANGELII ASSERTOREM
AGNOVIT
DEMUM
DIUTURNIS PRO CHRISTO LABORIBUS
AERUMNISQUE CONFECTUM
SVERINUM DESIDERAVIT
ECCLESIA DEFLEVIT
FLORENTIA SIBI RESTITUI
SALTEM IN CINERIBUS VOLUIT
A. D. MDCLXXXVII.

(1) Vid. epiſt. Barthol. Cent. III. ep. 43. & Haller. in not. ad praelect. Acad. Boer. p. 106. edit. Taurinenſis Tom. IV.

(2) In not. ad Boerhaavium de viſu p. 73. edit. Taurin.

(3) Adverſ. Anat. I. & Adv. VI.

(4) *Ex arteriis ſolis mucum deducebat Scheneiderus, glandulas Stenonius addidit.* *Haller. Elem. Phyſ. lib.* 14. *Sect.* a. §. 14.

(5) Non diſſimilia tradidit Heiſterus. Ait enim *in compend. Anat p.* 35. *Venet. edit. Plerique Anatomici recentiores liquidum per hunc canalem ex naſo in os influere ſuſtinent, atque hanc ob cauſſam eam Stenonis tranſitum a naribus ad palatum vocant, qui etiam in capite oſſeo ſatis apertus & amplus apparet. Verum alias iam anguſtus, ut neque in vivo; neque in cadavere eum in os hiare, aut ſectam tranſmittere unquam deprehendere potuerim.*

(6) Elem. Phyſ. lib. 2. ſect. 3. §. 22.

(7) Compend. Anat. p. 67.

(8) *In fin. cap. 2. de anat. in lib. de ſtud. medic.*

(9) Adverſ. Anat. II. Animad. VIII.

(10) Phiſiol. lib. IV. Sect. 3. §. 22.

(11) Catalogus Rar.

(12) Liceat hoc loco proferre Malpighii verba minime a propoſito noſtro aliena. ... principio vitae, quam de ſe ipſo ſcripſit. *... veluti antiquorum monumentis excitataque lucis ſcintilla, latronis notam inurere tentant, quem docentem & magiſtrum mox audivere. Rerum inventores Urbium & Reipubilicae fundatoribus aſſimilantur. Hae namque ſuum venerantur auctorem, non qui ſenſim gentem propagavit, loci opportunitate aut ſorte coactas, ſed qui dux*

tis legibus, diſtinctis ordinibus, moeniis, vel ſepto circumvallavit, aut arce firmavit: ita in artibus & ſcientiis inventor is dicendus eſt, qui naturae arcanum per ſuas cauſſas [illegible] rationum & experimentorum cumulatis argumentis firmavit, & uſum naturae congruum dilucide expoſuit. Hinc Harvaeus ſanguinis circulationis inventor aſſeritur, & Pacquetus thoracici ductus auctor vindicatur, aliaque conſimilia exempla copioſa occurrunt, licet ſuperiori ſaeculo his praeluſiſſe videantur. Ceterum quod ad me ſpectat cum amiciſſimo Stenone repetam: ſic mihi gratulor me non ab illis monitum eadem, quae illi, obſervaſſe, nec me movet poſt alios me haec vidiſſe, modo ab aliis eadem habuiſſe non accuſer.

(13) De hoc invento videndum eſt opuſculum Joann. Swammerdami, quod in ſcripſit: *uteri mulieris fabrica*, quodque extat in Vol. I. *Bibliothecae anatomicae Mangeti*. Addit etiam Mangetus *nobiliſſimum Stenonem paradoxum hoc ſtupenti orbi primum obtuliſſe, ovorumque, ut apud omnes eſt in confeſſo, in viviparis inventorem dici*. Digna etiam ſunt quae legantur tradita hac de re a Valiſnerio in libro *della generazione dell' uomo part. 2. in princ. Tom. 2. pag.* 145. Sed praeſertim invitandos eſſe lectores putamus ad ea legenda, quae de Stenonis invento, deque obſervationibus habitis a Valiſnerio ad illud ipſum, ſi fieri potuiſſet, confirmandum expoſuit Buffonius in Vol. II. *Hiſtoir naturel*, ubi de animalium generatione agit.

(14) Haec habet de Stenone liber, cui titulus: *Journal des Scavantes an. 1665. n. 12. p. 113. Eruditus hic Danus immoratur Pariſiis ubi quotidie exercet ſectiones in plurimorum naturae curioſorum praeſentia, idque in ſchola fecit medicorum, ubi admirati ſunt eum propter inventa ſua nova: Habet enim id peculiare ut maximam rerum partem tam reddat ſenſi-*

[illegible] , ut quivis victas dare manus , mirarique cogatur quomo-do ſubterfugerint ea Anatomicos ante eum omnes .

(15) [illegible]ot. ad Method. ſtud. pag. 521.

(16) Vid. Vivianii epiſtolam ad Magalottum, quae extat in Vol. I. p. 1[illegible] epiſtolarum Magalotti , quas nos edidimus Florentiae an. 1769. Ex ea inter cetera ſcimus ſtipendium annuum CCCC. aureorum oblatum Stenoni a Danorum Rege fuiſſe, poteſtatemque factam Catholicam Religionem libere profitendi.

(17) pag. 641. edit. Hafnienſis.

(18) V. Redi *Eſperienze intorno alla generazione degl' in-ſetti* pag. 75. e 129. & ejus epiſtolam ad ipſum Stenonem *Opere del Redi* Tom. V. p. 47. Vide etiam Acta philoſo-phica Societatis Regiae Londinenſis an. *1666.* & epiſtolam Magalotti ad Falconerium , quam nos edidimus in Vol. I. pag. 172. *[illegible] lettere famigliari del Magalotti .*

(19) Hinc illa quae memoriae tradidit Leibnitius in *mi-ſcellaneis Leibnit. Joachimi Frid. Felleri . Je ai apris que feu mr. Stenonis ſe dechargeant de la litterature prophane charga m. Oligerius Jacobeus medecin Danois de pouſſer & de pourſuivre ſes penſées ſur la geographie naturelle , & les changemens phy-ſiques de la ſourſace de la terre .*

(20) Extat in Vol. II. epiſtolarum clarorum virorum epiſtola de morte Stenonis ſcripta ad Card. Pallavicinium a Cappellano Theodori Kerckhovii , qui Hamburgi Magni Ducis Etruriae negotia procurabat . Ex hujus autem litteris ad ipſum Magnum Ducem inter cetera ſcimus Stenonem , cum primum coepit aegrotare , *petiiſſe ut Lubeca Sacerdos S. J. ad ſe veniret , qui illi Sacramenta adminiſtraret ; ſed ſe il-lum Patrem excuſaſſe , ita ut deficiente Sacerdote ſine Sacra-mentis obierit 25. Novembris hora 7. matutina* 1687. Narrat

etiam Kerchringius increpanti Medico Stenonem, quod nimis corporis afflictationibus indulſiſſet, reſpondiſſe: *Si c'eſt la cauſe, je ne ſuis pas faché; car je ſuis perſuadé que je l'ai fait dans l'intention de ſervir Dieu: il y a eu des perſonnes qui ont vecu plus auſterement que moi au pain & à l'eau, & ont vecu long tems; pour quoi ne le ferai je pas; ſi ce fut ainſi la ſainte volonté de Dieu que je devois vivre?*

OPERA EDITA.

De glandulis oris, & novis inde prodeuntibus ſalivae vaſis obſervationes anatomicae.

De glandulis oculorum, noviſque eorumdem vaſis obſervationes anatomicae. Hae obſervationes editae Lugduni Batavorum ſeparatim primum fuere. Poſtea conjunctim cum reſponſione quadam ad Deuſingium ibidem impreſſae fuere an. 1686. in 12. Extant etiam in Volumine II. *Bibliothecae anatomicae*, quam Daniel le Clerc & Jacobus Mangetus contexuere, ediderunteque Genevae an. 1685. in fol.

De muſculis obſervationum ſpecimen. Extat in eadem *Bibliotheca*; impreſſumque etiam fuit cum duabus epiſtolis de *Anatome Raiae, & de Vitelli in inteſtina pulli tranſitu*: Hafniae 1664.

De cerebri Anatome Diſſertatio ſpectatiſſ. Viris DD. Societatis apud D. Thevenot Pariſiis collectae dicata. Extat in eadem *Bibliotheca*. Pariſiis primum an. 1669. prodiit haec Diſſertatio Gallice ſcripta, & ſecundo Lugd. Bat. an. 1671. cum in Latinum converſa fuiſſet.

Elementorum myologiae ſpecimen, ſeu muſculi deſcriptio Geometrica, cui accedunt canis carchariae diſſectum caput; & diſſectum piſcis ex canum genere. Florentiae 1667. in 4.

De ſolido intra ſolidum naturaliter contento, Diſſertationis prodromus. Florentiae 1669. in 4.

De Vitulo hydrocephalo epiſtola ad S. Magnum Etruriae Ducem Ferdinandum II. ex Italico in Latinum translata a D. Matthia Mothio. Extat in Vol. II. commemoratae *Bibliothecae Anatomicae*.

Obſervationes Anatomicae ſpectantes ova viviparorum. Extant in Vol. I. ejuſdem *Bibliothecae Anatomicae*, eaedemque legi etiam poſſunt in *Actis medicis & philoſophicis Haſnienſibus* editis a Thoma Bartholinio Haſniae typis Georgii Godiani 1673. ib. 4.

Iiſdem in Actis haec etiam ſunt, quae pertinent ad Stenonem.

Ova viviparorum ſpectantes obſervationes aliae.

In ovo & pullo obſervationes.

Obſervationes circa motum cordis auricularum & venae cavae.

Hiſtoria muſculorum Aquilae.

Embryo monſtro affinis Pariſiis diſſectus.

Uterus leporis proprium foetum exſolventis.

De vitulo.

Prooemium demonſtrationum Anatomicarum.

De prima ductus ſalivalis exterioris inventione & Bilſianis experimentis. Extat apud Thomam Bartholinium in Centuria epiſtolarum ejuſdem Epiſt. 54. Haſniae 1667.

Epiſtola Stenonis ad [illegible] qua declarantur experimenta quaedam habita Romae de Salamandra. Extat in Actis Philoſophicis Societatis Regiae Londinenſis an. 1666.

Epiſtola ad virum eruditum cum quo in unitate S. Rom. Eccleſiae aeternam amicitiam inire deſiderat de methodo convincendi Acatolicum juxta Chryſoſtomi Homiliam 33. *Florentiae*

ex typographia Nicolai Nacuſii 1675. in 4. Plures aureas Chryſoſtomi ſententias haereticorum malitia vitiatas ſuo reddidit Auctor nitori.

Epiſtola de Interprete S. Scripturae: Florentiae 1675. In hac epiſtola ſatis ſuperque exagitatam quaeſtionem de Interprete S. Scripturae tractat. Vander Waien Calvinianorum cauſſam defendenti reſpondet, atque SS. PP. dicta ab eo prolata in ipſum acute retorquet.

Epiſtola ad novae Philoſophiae Reformatorem de vera philoſophia. Florentiae 1675.

Epiſtola de propria converſione. Florentiae 1677.

Elucidatio Epiſtolae de propria converſione. Hannoverae 1680.

Scrutinium Reformatorum oſtendens Reformatores morum fuiſſe a Deo, Reformatores autem fidei & doctrinae non fuiſſe. Florentiae 1677.

Occaſio Sermonum de Religione cum Jo. Sylvio 1678.

Examen objectionis circa diverſas Scripturas Sacras cod. anno.

Defenſio Scrutinii Reformatorum. Hannoverae 1679.

Tractatus de Purgatorio cum Diſcurſu utrum Pontificii an Proteſtantes in Religionis negotio conſcientiae ſuae rectius conſulant. Hannov.

Epiſtolae duae ad J. Bruſmannum. Hafniae 1680.

Parochorum hoc age, ſeu evidens demonſtratio, quod Parochus tenetur omnes alias occupationes dimittere, & ſuae attendere perfectioni, ut commiſſas ſibi oves ad ſtatum ſalutis aeternae ipſis a Chriſto praeparatum perducat. Juſſu Coſmi III. M. E. D. impreſſus hic liber fuit Florentiae 1683. Vid. Do. Mariae Mannii opus, quod inſcribitur: *Vita di Niccolò Stenone ec. Firenze* 1775. *p.* 186.

Antilogia contra M. Siricii oſtenſionem abominationum Papatus Idolatricarum. Roſtochii 1687.

Epiſtola Italica ad nobiliſſimam feminam Arnolfiniam, in qua Steno exponit rationes, quibus convictus fuit ad amplectendam Catholicam Religionem edita eſt in Vol. II. *delle lettere d' uomini illuſtri Florentiae* 1774. quo in volumine extant quoque binae aliae epiſtolae Stenonis ad res phyſicas pertinentes.

OPERA INEDITA.

Experimenta naturalia ad Sacrae Scripturae & Chriſti divinam auctoritatem agnoſcendam non parum conferentia pro illis, qui vel omnino non credunt, vel ex non credentium ſermonibus gravia dubia experiuntur.

Experimenta & argumenta pro libertate voluntatis ex natura & Scriptura deſumpta contra modernorum quorumdam neceſſitatem abſolutam ex ... concatenationis cauſſarum ſecundarum.

Demonſtratio falſae Acatolicorum perſuaſionis de divini in ſacris litteris mandati omnes rationis uſum habentes fideles ad calicem ſumendum obligantis.

Extat in *Magliabechiana Bibliotheca* manu ſcriptum volumen cum hac inſcriptione:

Nicolai Stenonis Epiſcopi Titiopolitani Ferdinandi Magni Etruriae Principis quondam magiſtri opera. Haec ſunt ſermones de rebus divinis XXXXV. & opuſcula XIII. ad varias res theologicas, praeſertim morales, pertinentes. Claudit volumen epiſtola hortatoria Joannis Sterech S. J. ad Stenonem, qui ipſum monet, ne nimis corporis afflictationibus indulgeat.

Trattato di morale per un Principe.

ANGELUS FABRONIUS

SEBASTIANO CANTERZANIO

S. P. D.

SI quando Bononienſium civitas liberalibus ſtudiis floruit, id maxime accidiſſe videtur ineunte hoc ſaeculo, cum ſemina ſapientiae, quae per Montanarium praeſertim ſparſa fuerant, fructus uberrimos edidere; adeo verum eſt unum hominem, qui ad adſpiciendam lucem ſit vocatus non ad breve, ſed ad diuturnum tempus, neque uni modo civitati, ſed univerſae etiam conſulere poſſe provinciae. Hominibus hujuſmodi celeberrimo aliquo in loco ſtatua quidem ponenda eſſet, ut accepti beneficii eſſet indicium, ceteroſque ad illorum praeclara facta imitanda accenderet. Mihi ante oculos verſatur ſqualor philoſophiae, antequam Montanarii vox Bononienſi in Gymnaſio illam commendaret, atque ſuſtineret: nihil illa foedius, nihil ſervitute, qua illam Scholaſtici oppreſſerant, acerbius & durius: ubi vero extollere jam caput, & aliquando reſpirare coepit, tanta in ſpe fuit priſtinam dignitatem recuperan-

perandi, ut non dubitaret quin per ſe Bononienſes aliquando gloriam aemulari poſſent Florentinorum, unde optima philoſophandi ratio, ut & aliae multae praeclarae artes, orta atque in omnes terras diſtributa putatur. Non inanem fuiſſe ſpem facile judicabunt ii, qui memoria repetent, quot ex Malpighio, Fracaſſatio & Valſalva adjumenta & praeſidia anatome habuerit, quid debeat Gulielminio & Euſtachio Manfredio aquarum & rerum caeleſtium ſcientia, quid hujus fratri algebra, quid Stancario omnes fere phyſicae & mathematicae diſciplinae, quid chymica & medicina Beccario, utque de innumeris fere ſileam, quid geſſerit Ferdinandus Marſilius non modo ad naturalis hiſtoriae, quam ſcriptis ſuis illuſtravit, ſed ad ſcientiarum omnium incrementum, cum Inſtitutum, & quae ei adjuncta eſt, Academiam condidiſſet. Deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, cum etiam nunc vivam illorum memoriam teneamus, hanc immortalem prodendis illorum monumentis, ſi poſſem, redderem. Sed priuſquam de illis dicam, exponendam Montanarii vitam putavi, quem ii ipſi, quanquam non omnibus, utpote diſparibus aetate, eumdem audire contigerit, omnes tamen tanquam praeceptorem agnoverunt atque ſuſpexe-

runt, cum ab eo, quidquid tum ſcirent de rebus phyſicis, praeſertim manaſſe judicarent. Excitabo etiam laudatorem Laelium Trionſottum, qui philoſophiam publice docuit Bononiae annos amplius quadraginta (vixit enim ad ſummam ſenectutem) & qui cum in hac non modo facultate, ſed & in botanica & univerſa naturali hiſtoria magnum ſibi nomen comparaſſet, omnem celebritatem ſuam Montanario referebat acceptam. Pauca hoc loco de homine immortalitate digniſſimo commemorabo; non enim nunc libet ſeparatim de ipſo ſcribere. Adeo multa in eo elucebant atque eminebant, ut etiam mediocriter doctos admiratione quadam afficeret. Diſputabat ſubtiliter, graviter, & ſatis etiam ornate. Oratio erat copioſa, erudita, & varia; dulcis in primis, & quae repugnantes quoque duceret & impelleret: perſuaderi tibi, etiam cum perſuaſiſſet, deſideraſſes. Nihil novi in re phyſica prodibat in lucem, quod ipſe noſcere non cuperet, & de quo ſuos non doceret diſcipulos. Sentiebat occurrendum eſſe imperitorum machinis, ad quos omnis veritati aditus, qui pene ſolus ſuperſtitioni, errori, fabulis patebat, obſtructus erat: idque fecit patientia atque conſtantia prope incredibili. Inſectabatur vitia, non homines, nec caſtigabat errantes, ſed

emendare ſtudebat. Etiam in ſenecta hoc reputabat jucundiſſimum, inſtruere ſtudioſos philoſophiae, affirmans hanc eſſe philoſophiae pulcherrimam partem, agere rem publicam, promere quae lectio & uſus docuerat, omnibuſque lumen ingenii & conſilii ſui porrigere atque tendere. Pro quibus meritis, cum primum Inſtitutum conditum eſt, cunctis Senatus ſuffragiis Praeſes eſt declaratus, quem honoris gradum ad annum uſque milleſimum ſeptingenteſimum ſecundum tenuit, quo vitam finivit. Lege cautum erat, ne quis in Inſtituto duobus fungeretur muneribus: ſed Trionfettum excipi libuit, cum naturalis hiſtoriae provincia ei quoque demandata fuiſſet. Nullum ſane erat honoris genus, quod ſibi a civibus ſuis polliceri non poſſet, ſed ea erat modeſtia, nullum ut exoptaret ac requireret. Vitae integritas ſumma, comitas par cum gravitate conjuncta; occurſum reveritus eſſes, non reformidaſſes. Habere quidem ſolet gloria, in ſtudiis praeſertim, quiddam ἀκοινώνητον: Trionfetto tamen nullum certamen, nulla contentio, nulla invidia; adeoque oderat conſuetudinem nonnullorum litteratorum, qui idcirco diſputare videbantur, ut mutuis ſe injuriis lacerarent, ut a tranquilla, quieta, beata vita Sapientiam minime disjungi poſ-

ſe affirmaret. Commemoratio meritorum in litteras Trionfetti, ceterorumque illuſtrium hominum, qui e ſchola Montanarii prodierunt, accommodata ad id, quod inſtitui, pleriſque, ut ſpero, videbitur. Si aliter tu judicabis, tibi ipſi aſſigna, qui me inflammaſti ſtudio doctiorum Italorum praeclara facta perſequendi. In quae cum intueor, maxime mihi occurrit atque lucet Bononia tua, quae cum floruerit ſemper omni genere laudis, hac tamen laude fuit clariſſima.

Piſis IX. *Kal. Decemb.* MDCCLXXVIII.

GEMINIANUS MONTANARIUS.

GEminianus Montanarius natus eſt Mutinae Kal. Junii an. MDCXXXIII. loco honeſto, & urbe Ciſalpinae Galliae ob editos praeſertim doctrina excellentes viros in primis nobili. Ingenue a matre educatus (nam cum decem eſſet annorum patrem amiſit) ſpem in illa excitavit meliorem per ſe fore familiae fortunam. Itaque juris prudentiae, quae artium & doctrinarum omnium quaeſtuoſiſſima putatur, ſeſe tradere coactus fuit. Ad hanc diſcendam, poſtquam in patria animum praeparaſſet humanioribus litteris & philoſophiae ſtudio, Florentiam venit, deditque ſe in diſciplinam Jacobo Federighio homini ea vitae ac morum integritate, eaque juris civilis, ac Pontificii ſcientia, ut judicari haud facile poſſet, utrum melior eſſet an prudentior. Erat libenter in Etruria Montanarius (fuit autem triennium) doctrinarum dulcedine, Etruſci ſermonis venuſtate, & pri-

mariae etiam feminae lenociniis captus. Sed cum ob eam rem magna odia in ipſum concitata fuiſſent, haec in homine iracundo dulcedinem vivendi minuere. Poſtremo calumnias & pericula non tam timere, quam declinare debuit. Itaque coactus aeſtate an. MDCLVI. vitam degere Groſſeti, quod ob caeli inſalubritatem fatale ei fore omnes praedicebant, ipſe ex ea urbe valetudinem vireſque reportavit. Nam cum antea ei eſſet ſumma gracilitas & infirmitas corporis, & melancholica natura, brevi pinguem, valentem & hilarem ſe evaſiſſe gaviſus eſt. Interea Viennam invitatur ad exercendam juris prudentiam. Accepit conditiones, & inſignibus doctrinae decoratus eſt in Salisburgenſi Academia, ſingularibus honoribus a Guidobaldo de Thunio Archiepiſcopo affectus. Scriptum invenio illum Viennae abjeciſſe perſonam juriſconſulti, & philoſophi ſumpſiſſe. Philoſophiae quidem a pueritia deditus fuit, & nullo ferme duce, cum tredecim eſſet annorum, per ſe elementa geometriae didicerat. Hunc ſuo ſtudio in nobiliſſimam facultatem non mediocriter obſecutus eſt Florentiae, & quantum fori oc-

cupationes patiebantur, libentiſſime in Carteſianorum dogmatum meditatione verſabatur. Sed in magnis tenebris erroris clariſſimum lumen ſibi praetuliſſe dicebat Paullum Bonium Galilaei diſcipulum, quem Viennae offendit, cuique ſe totum dedit. Ex eo tempore Montanarius omnis doctrinae phyſicae principem habuit Galilaeum; hunc ferme unice admirabatur, hunc omnibus non ſolum gravitate rerum, ſed & copia dicendi anteponebat. Cum vero intelligeret phyſicum, quamvis ſcientiae praecepta perceperit, magnum quidquam ſine uſu & exercitatione haud conſequi poſſe, conſilium cepit de inveſtiganda per ſe ipſum natura; cumque ſocium & ducem Bonium adhibuiſſet in capiendis experimentis, nova quaedam detegere potuit, quae inventori haud mediocrem pepererunt gloriam. Haec Bonius referebat Academicis Florentinis, quibuſcum ſocietatem quamdam ſtudiorum habebat, hique nonnulla ſuos in commentarios intulerunt. Ex his nominabo inſtrumentum, quo cognitum eſt haud comprimi poſſe aquam, quaeque pullorum ortu per artificioſum calorem primus tentavit Montanarius. Viennae

praeerat Bonius monetali officinae; cumque ea de cauſſa fodinas Stiriae, Bohemiae, & Hunghariae an. MDCLVII. inviſere deberet, ſecum habere voluit Montanarium veluti comitem obſervationum. Hi quidem multa percunctando obſervandoque operoſae arti ea tribuerunt, quae opificum ſaluti, & rationibus Caeſaris maxime conducere videbantur. Phyſicam quoque auxerunt aeris natura & motu, cauſſiſque inveſtigandis, quare non ſemper curſus certos & conſtantes in fodinis habeat. Illud & quaeſierunt num eodem modo augeſcant metalla, quo plantae, ſcilicet per circulantem terrae ſuccum. Illa quidem creſcere & matureſcere citius ferrum, ſerius autem aurum, certiſſimis argumentis ſe noviſſe putabant; ſed qua ratione id fieret incertum reliquerunt, quanquam Montanario ad veritatem illa videretur eſſe propenſior opinio, quae fermentationi hanc maturitatem tribueret. *Utinam*, ajebat Montanarius, *tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere*; & convicit quidem levitatis & infirmitatis eos, qui Gregorii Agricolae praeſertim teſtimonio credebant in fodinis volitare & vagari umbras quaſdam

homunculorum ſpecie, a quibus ſaepe perturbarentur operarii. Nemo ignorat quam facile verba ſibi dari patiantur in hujuſmodi rebus Germani; & ſi verum eſt, ut ait Cicero, credulitatem in optimi cujuſque mentem facillime irrepere, non dubitabis illas gentes bonitate ceteris anteponere. Phyſicae inveſtigationes Montanarii & Bonii ſuſpectae eſſe debebant iis in regionibus, iiſque temporibus, quibus nihil tam vereri homines videbantur, quam clariſſimum veritatis lumen adſpicere. Acceſſit eo, quod cum ii viri auctores eſſe voluiſſent, ut non ſolum jucundiſſima, ſed etiam utiliſſima ſtudiorum ſocietas cum aliis doctrina praeſtantibus iniretur, occaſionem malevolis dedere calumniandi hujuſmodi ſocietates, perinde ac ſi perniciem Reipublicae molirentur. Indignatus Bonius hujuſmodi voces in Pannoniae Regis aulam confugit, ibique non multo poſt vitam finivit. Juvat hoc loco praeclariſſimum de illo Iſmaelis Bullialdi teſtimonium afferre, ex quo facile cognoſci poterit, qui quantuſque vir fuerit. *Quoniam injecta mihi eſt* (ſic ad Leopoldum Mediceum ſcribit (1)) *a Seren. Cel. tua men-*

(1) In Vol. I. epiſt. ...

tio de nuper defuncto in Poloniae Regis aula Paulo de Bono luctum de illo amiſſo comprimere meum hic nequeo. Ingenio enim in mathematicis ac praecipue in mechanicis valebat, moribuſque probis & honeſtis praeditus erat, ſique diutius in vivis egiſſet plura procul dubio praeſtiturus. De Republica litteraria ac philoſophica, quam animo conceperat, ac ſtatuere cogitabat, aliquid intellexi. Excelſae quidem mentis, & ad magna viri nati propoſitum erat; ſed hiſce temporibus ſedes inter Europaeos quaerere non debebat, cum omnibus in regnis & rebuſpublicis orbis noſtri nulla ſocietas iniri queat, quae ſuſpecta dominantibus non ſit.
Sed ad Montanarium revertor, qui Vienna diſcedens ſemel iterumque adiit periculum vitae in itinere, quod per Germaniam fecit. Incidit etiam in morbum articulorum, ac ſatis vehementer diuque aegrotavit. Conſedit demum in patria haud mediocribus invitatus beneficiis ab Alphonſo IV. Duce; cumque quotidie magis illi ſpes oſtenderetur fore melius fortunas ſuas, facile de uxore ducenda conſilium cepit. Sed qui locus quietis pleniſſimus fore videbatur, in eo turbulentiſſimae tempeſtates extiterunt, quas aulicorum invidia, pro-

pinquorum aviditas, & ipſius Montanarii ingenium moroſum, anxium, iracundum excitarunt. Ea propter Florentiam remeavit ſperans fore, ut ſibi ab juris prudentia ſuppeditarentur quae ad victum & cultum eſſent neceſſaria. Sed quia nil decet invita, ut ajunt, minerva, brevi foro renuntiavit, phyſicaſque exercitationes, plaudente maxime Leopoldo Mediceo, repetiit. Interea Alphonſus Dux, qui tantum ingenium a patria abeſſe dolebat, de illo revocando cogitavit. Neque id conjectura proſpiciebat, ſed jam expertus videbat, fore ut per illum mathematica & phyſica ſtudia plurimum proveherentur. Commiſit igitur illi, ut in hanc rem omni cura cogitationeque incumberet, large ac liberaliter ſubſidia promittens. Aemulus fortaſſe & imitator eſſe cupiebat Mediceorum Principum, qui immortalem gloriam ſibi pepererunt ob illuſtratam Etruriam omni praeclara arte atque doctrina, & ſapientibus viris ornatam; ſed illorum inſtituta atque exempla laudare facilius poterat, quam aemulari. Obſtitit etiam mors, ne ea, quae conſulebantur, ad exitum pervenerint, quapropter deſperans Montanarius re-

bus & ſtudiis ſuis, iterum patriam deſerendi conſilium cepit. Manſit in Panſano, quod non longe Mutina abeſt, apud Cornelium Malvaſiam, ſuamque illi operam obtulit ad perficiendas, in quibus elaborabat, caeleſtes ephemerides. Ex hoc tempore magnus Malvaſiae amor in Montanarium eſt exortus, & deſiderium excitatum, ſuſceptumque conſilium, ut patriae Academiae illum addiceret. Quod quidem homini auctoritate ſumma haud difficile fuit. Munus igitur cum an. MDCLXIV. aſſignatum fuiſſet Montanario docendi mathematicas diſciplinas, ſategit ut non tam diſcipulorum utilitati, quam ſuae & Academiae gloriae ſerviret. Quod magni referre putavit eſſe, qui aſtronomicas ephemeridum ſcriptiones a Malvaſia inſtitutas perſequeretur, hoc libenter ſuſtulit oneris, adjuvantibus Graſſinio & Mezzavacca, hominibus in ſubducendis calculis experientiſſimis. Libellum itaque hac de re edidit, qui ephemeridem continet an. MDCLXVI. ex Jambergianis tabulis magna ex parte deductam. Sed breviori, quam Lambergius, inceſſit via, ejuſdemque errores quoſdam correxit de marte praeſertim & mercu-

rio. Quod ad ſolis motum attinet excogitatam a Jo. Dominico Caſſinio theoriam, & quas inde derivatus eſt ſummus aſtronomus tabulas, ſecutus eſt Montanarius. Hiſce vero ephemeridibus addidit obſervationes quasdam, & exempla de uſu refractionum, cum ſolſtitialibus diebus aeedem obſervationes habentur, quibus celeberrimam de eclipticae obliquitate controverſiam ſe confeciſſe putavit. Erant enim qui vellent angulum, quem facit ecliptica cum aequatore, eumdem ſemper eſſe; alii contra mutari continenter arbitrabantur, & paullatim in annos ſingulos minui. Suas cum duorum ſaeculorum obſervationibus comparans Montanarius, omneſque ad eaſdem refractionum tabulas exigens, cognovit toto hoc tempore minime extitiſſe in ecliptica varietatem, quae ſenſu deprehendi poſſet. Multi alii doctiſſimi viri in eadem re inquirenda poſtea elaborarunt; & Maraldus praeſertim & Malezieus magno obſervationum numero ſe deprehendiſſe exiſtimarunt nullam omnino in eclipticae & aequatoris angulo factam fuiſſe mutationem. Quorum hominum auctoritas plane me moveret, niſi alii non minoris do-

ctrinae aſtronomi contrarium affirmarent. Ceterum Montanarium ſuimet poenituit, quod in ſolaribus tabulis conficiendis principio refractionum minime rationem habuerit: habuit poſtea motus auctoritate Caſſinii, cujus ſententia cum oppugnaretur a Ricciolio, non rationibus modo, ſed & experientia illam defendit. Notatis enim in meridiana, quae in S. Petronii extat, linea variis locis, ad quae pro varia tum Caſſinii tum Riccioli hypotheſi ſolis imago accedere debebat, rei ſemper exitus prioris veritatem comprobavit. Inter haec cometa apparuit, qui omnium fere aſtronomorum oculos & ſtudia commovit. Primus illum fortaſſe vidit Montanarius, cum Mutina Bononiam rediturus ad villam hoſpitis Franciſci Inſulani Senatoris divertiſſet. Illius motum, viam, formam, magnitudinem, parallaxin, & ſi qua ſint alia phaenomena diligenter obſervavit, deque iis librum ſcripſit, quem LV viris Senatus Bononienſis dicavit. Cum autem nulla re magis aſtronomicae obſervationes conturbentur, quam refractionibus, deque iis variae & diſcrepantes ſint aſtronomorum ſententiae, Montanarius rationem excogitavit,

qua ſuae obſervationes cum illa opinionum varietate facile convenirent. Supra lunam fuiſſe illum cometam ait, ductoque argumento ex ſolaribus maculis, quae ex aethere exiſtere putabantur, ex denſioribus caeli particulis gigni hujuſmodi corpora credidit. Harum vero caudam quaſi vaporem, qui ab ipſis emanat, & a quo involvuntur, habendam eſſe; vaporiſque partem, quae a ſole eſt averſa, haud facile ab ipſo diſſipari, eaque propter longo temporis & loci conſpici intervallo. Cum vero diſſolvi incipit, tantam eſſe illius tenuitatem, ut fugiat aciem. Vetus haec erat opinio, & eam ſecutus videbatur Caſſinius cum de cometa, qui apparuit anno MDCLII. librum edidiſſet: quae quidem expoſuiſſe ſatis eſt ad eorum levitatem confutandam. Nec minus in phyſicis quam in aſtronomicis ſtudiis verſabatur Montanarius, ad quae excolenda cum inſtituta fuiſſet Academia quaedam apud Carolum Antonium Sampierium, hanc maxime frequentabat, novi ſemper aliquid afferens, quo audientium animos delectaret atque doceret. Ex his autem ea in vulgus edidit, quae de liquoribus in

Vitreis tubis contentis, experientia duce, cognoverat, quae paucis perſequemur, ut intelligatur quantus ille ſpeculator venatorque naturae fuerit. Principio examinat quae Fabrius, Grimaldius S. I. homines, Boylius, & Fabricius Guaſtaferrius hac de re excogitaverant, multuſque eſt in illorum opinionibus confutandis. Haec ſubtiliter & recte dicta videntur, ſi ea excipias, quae ad Grimaldium pertinent. Vir enim acutiſſimus ab attractione aquae in vitrum effectus illos, hoc eſt a vera cauſſa, repetierat. Sed hic ipſe cum mechanicam ejus rei rationem ignoraverit, non injuria ſemper a Montanario reprehenſus eſt. Poſt id philoſophus noſter ſua cogitata proponit. Ex ea facilitate, qua modo dilatatur aer, modo denſatur, illum infert ex partibus conſtare propter figuram ſuam implendo ſpatio non ſatis idoneis, atque hinc etiam ſuperficiei admodum laevi corporis alicujus non ſatis apte reſpondentibus. Aer etiam eſt gravitate praeditus, & ideo premit undique, & ad motum impellit leviora corpora, fluida praeſertim, in quibus eſt vis reſiſtendi minor. Aqua vero gluten neſcio quod habere vide-

tur,

tur, cujus vi particula quaevis haud movetur, quin alias poſt ſe trahat. Ejuſdem aquae particulae tam facile flectuntur atque plicantur, ut magis quam aereae vitri ſuperficiei congruant. Cum aer igitur aquam premat, hujus particulae vitro adjacentes in illa ſpatiola vacua, quae ſunt inter aerem & vitrum ipſum, ſubire compelluntur, atque ideo alias poſt ſe trahentes particulas aſcendunt, quouſque totius aqueae molis pondus, cum vi, quam particulae illae ad aſcendendum afferunt, ſit in aequilibrio. Sed quemadmodum aqua melius quam aer vitro congruit, fluida etiam corpora eſſe poſſunt, quae minus congruant quam aer ipſe; tunc autem ea deprimi debent, ut in hydrargyro accidit. Cum vero ad id minime ſufficiat, aërem vitro magis quam hydrargyrum congruere, niſi aliquod in ipſius particulis gluten, ei quod jam dicebamus valde ſimile, dicatur ineſſe, id etiam Montanarius conatur oſtendere. Utitur autem ad id ea difficultate, qua particulae aeris a corporibus, quae ſub aqua ſunt, divelluntur, quorum ſuperficiei adhaerentes exiguas quaſdam bullas efformant. Nemo eſt quin videat, quam

falſa haec doctrina ſit, poſtquam attractio Newtoniana per tot inſignes philoſophos tantopere illuſtrata eſt, atque ad id praeſertim, de quo agitur, explicandum a Delalandio adhibita. Praeſtat id nobilis hic ſcriptor in epiſtola, quae legitur inter ephemerides doctorum hominum, quae Pariſiis prodeunt, ad menſem Octobris an. MDCCLXVIII. At Montanario in iis, quae tam ſubtiliter excogitavit, magna laus ingenii denegari non poteſt, praeſertim cum ἀναλογίαν aut ſimilitudinem, quae inter aſcenſum aquae in tubis capillaribus, aſcenſum humoris, qui nutritioni deſervit in vaſis plantarum, intercedit, animadverterit. Contra Montanarii doctrinam aliqua ſunt objecta per Sampierium, quibus ille in epiſtola eodem anno MDCLXVII. Bononiae edita reſpondere conatus eſt. Argumenta Sampierii tam valida erant, ut non ſatis apte poſſent a Montanario confutari. Ingenii tamen laudem ea etiam reſponſa merentur, quibus identidem non pauca quaedam animadverſa ſubtilius admixta ſunt. Hoc eodem loco diſperſum in athmoſphaera vaporum cum iis, quas chemicas dicimus ſolutiones, pluvias autem cum iis, quas

praecipitationes, artis chemicae uſi vocabulis, appellamus, ingenioſe comparat, quamvis ea phaenomena non ſatis explicet. Quemadmodum vero ſalis particulae, quamvis aqua graviores, in ea ſuſtinentur, neque in fundum decidunt, niſi cum in grandiores maſſas, quae vincant aquae oppoſitum, coaluerunt; ita vult vapores aere graviores in athmoſphaera ſuſtentari poſſe, neque decidere, niſi cum iis in guttas grandiores coagulatis proportio ſuperficiei ad maſſam ita ſit imminuta, ut vis, qua contra caſum ipſorum renititur aer, pondere deorſum impellente minor evaſerit. Nihil certe melius per ea tempora afferri poterat, quibus electricitas terreſtris athmoſphaerica, nec non quidquid ea praeſtat in extollendis, diſpergendis, ac demum in denſandis ac dejiciendis vaporibus penitus ignorabatur. Quod cognoverit ille vapores non oportere aere leviores eſſe, ut in aere ipſo extolli ac ſuſtineri poſſent, quae ſententia tunc apud philoſophos fere omnes obtinuerat, non exiguam profecto laudem meretur. Vix annus interceſſerat poſtquam haec Montanarius in vulgus emiſerat, cum Donatus Roſſettus librum edi-

dit (*Antignome* inſcribitur) quo omnia fere Montanarii cogitata ſe evertere gloriabatur. Minime intelligebat homo ambitioſus & petulans ſe ſatis virium non habere, ut luctari & congredi poſſet cum Montanario, qui quidem, uno alteroque vulgato ſcripto, omnia ab adverſario contra ſe allata diluit. Dilatavit praeſertim hac occaſione atque explicavit celebriorum mathematicorum ac phyſicorum dogmata de centro gravitatis & de iis, quae aquae inſident, ad quae pleraque objecta a Roſſetto referebantur. Sed fuit Montanario in hac re non modo calamo, ſed etiam dimicatione quadam elaborandum. Ea propter Auguſtam Taurinorum venit, qua in urbe Roſſettus primarii mathematici munus ſuſtinebat. Cum dicendi veniam obtinuiſſet a Maria Sabaudiae *Duciſſa*, coram ea orationem habuit, in qua totius controverſiae originem, ſeriemque rerum expoſuit; qua ex narratione quilibet intelligere per ſe poterat Montanarium indignis habitum modis a Roſſetto ipſumque indignum hac injuria fuiſſe. Cum Maria non ferendum eſſe putaret, ut homines doctrina clari, graviſſime inter ſe diſſen

tirent; ſeque maledictis mutuo inſectarentur, egit de reconciliatione gratiae. Tantae feminae conſilium auctoritatemque ii ſecuti ſunt, & quamvis Montanarius eſſet ingenio acri & vehementi, nec facile injuriae oblivisceretur, cavit tamen ſemper ne cui ſuſpicionem fictae reconciliatae gratiae daret. Singularibus enim beneficiis atque honoribus, tanquam praedibus, illius voluntatem obſtrinxiſſe videbatur Maria. Eodem tempore, quo Montanarius ſcriptis cum Roſſetto dimicabat, multa alia illi erant in manibus, nec videbatur unum hominem tot ingenii & corporis labores diu ferre poſſe. Cum intelligeret ſe non minus Bononienſibus, quam illos ſibi eſſe jucundos, non defugiebat munus inſtituendi quotidie adoleſcentes tum matheſi, tum civili, ut vocant, architectura, tum phyſica, tum aſtronomia; veniebat in publicum gymnaſium frequens, ultroque afferebat res multum & diu cogitatas; multum tribuebat temporis caeleſtibus obſervationibus, inveſtigandaeque per experimenta diverſorum corporum naturae; conſulentibus reſpondebat; omninoque ſibi in his ſtudiis laboribuſque ſemper viventi nullum ex

quiete & remiſſione dari videbatur oblectamentum. Demum ſe ipſum coarguere debuit, quod intemperanter adeo corporis viribus abuſus fuerit, cum cruditate, inſomniis, ophtalmia, aliiſque valetudinis incommodis affici coeperit. Ea propter conſulentibus non modo, ſed etiam invitantibus amicis, itinera fecit per Ciſalpinam Galliam & Etruriam. Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut poſtea nunquam dextro aeque bene uſus ſit. Redeunti Bononiam cum melius eſſet factum, haud ſe continere potuit, quin ad veteres occupationes, & ad aſtra praeſertim, rediret. Invitamentis nobiliſſimae facultatis accedebant voces Jo. *Dominici* Caſſinii, qui coactus Bononiam & Italiam deſerere, aſtronomiam, & quae hanc plurimum illuſtravit, conſtructam a ſe meridianam lineam in S. Petronii Aede, ingenio & diligentiae Montanarii commendavit. Quid illi non commiſit; quid cum ipſo non communicavit? Vir ſane ſummus Euſtachius Manfredius magno ſtudio quaeſivit collegitque, quae Montanarius aliique ope illius praeclari & ſingularis inſtrumenti obſervaverant, cumque eadem in vul-

gus edidiſſet, plurimum illuſtravit eam aſtronomiae partem, quae ad elementa pertinet. Mandavit quoque Caſſinius Montanario, ut etiam atque etiam videret, num plurium annorum intervallo quaedam in ipſo gnomone facta eſſet mutatio. Quod negotium ſubtiliter ſane & diligenter confecit, comperitque nihil omnino in perpendiculo mutatum, & marmora tantum, in quibus meridiana linea erat deſcripta, ab horizontali poſitu alicubi declinaſſe. Inter haec cum teleſcopium viginti palmos longum per ſe fabricaſſet (erat enim in illo ſummae genus ſolertiae, ad omnia imitanda atque efficienda, quae ab quoque traderentur, aptiſſimum) diu obſervare & diligenter notare potuit magnum illum ſtellarum numerum, quae circum Plejades verſantur. Eo magis laetatus eſt iſta ſua notatione, quod affirmavit Caſſinius plurimum illam valere ad illuſtriorum aſtronomorum, & Galilaei ipſius errores quoſdam de iiſdem ſtellis corrigendos. Videbatur porro Montanarius eſſe in omni re aſtronomica & phyſica exercitatiſſimus, & paratiſſimus ad bene de multis merendum. Ea propter plures erant, qui aliquid de iiſdem

doctrinis ab eo requirerent, & aliquam quaeſtionem ei proponentes ejus verboſiores elicerent epiſtolas. Horum in numero fuit vel ipſe Magnus Etruriae Dux Ferdinandus II., & extat epiſtola ad ipſum, qua Montanarius rationem reddit, quare vitreae guttulae; in quacumque parte ſint fractae, in minutiſſimam ſtatim abeant pulverem. Rationem quoque docuit Montanarius hujuſmodi vitreas guttulas fabricandi, de qua ſaepius ſe expertum fuiſſe affirmat, praeſertim coram Stenone & Rinaldinio, cum anno MDCLXIX. Venetiis apud ampliſſimum virum Hieronymum Savorniarum diverſaretur. Ad hunc quoque epiſtolam dedit, cum habere ſe quaedam diceret, quae in illam priorem epiſtolam ad Ferdinandum Mediceum adderet. Ex editis Montanarii litteris illae quoque commemorandae videntur, quibus de mutata ſede a quibuſdam ſtellis fixis, deque ratione hujus obſervandi phaenomeni primus docuit aſtronomos; nec non illae, quibus Londinenſis Academiae Socios admonuit binas ſecundae, ut vocant, magnitudinis ſtellas obſcuratas eſſe, atque evanuiſſe; & quae demum praecepta tra-

dunt montium altitudines barometri ope menſurandi. In vulgus has Montanarii epiſtolas emiſimus, cumque illae exceptae libenter fuerint, id alias ex pluribus lectas edendi alacritatem nobis addidit. Hae autem ſunt ejusmodi, ut elegantiam differendi non contempſiſſe videatur Montanarius, imitatusque eſt illos, qui in epularum apparatu a magnificentia recedentes non parci ſolum, ſed etiam elegantes videri volunt. Dolebat vero ſibi verum exquirere haud licere ſine invidia, diſputavitque ſaepe cum aemulis ſuis non ſolum vehementer, ſed etiam iracunde. Exarſit praeſertim contra Ferronium Jeſuitam, qui erat ex Borellii diſcipulis unus; & ex homine, quocum dulciſſime per decennium vixerat, intelligere ſe dixit difficillimam eſſe cum Jeſuitis ſocietatem. Et quidem ex eorum numero omnes fere erant partim obſcurius iniqui, partim non diſſimulanter irati in Montanarium, ceteroſque, qui omiſſis auctoritatibus, ipſa re & ratione exquirebant veritatem. In exagitando quoque Petro Cavina iracundiam exprompſit ſuam. Neque injuria. Homo enim durus & agreſtis, medio-

eriterque doctus, quidquid ex Montanario audiebat & compererat, ſe multo ante illum ſciſſe gloriabatur; antevertere quoque conabatur explicationem earum rerum, de quibus ſcripturum putabat Montanarium, & ſi quid inter eos minime conveniſſet, non tam ratione quam injuriis pugnabat. Aliquandiu ſibi temperans, tacuit Montanarius: poſtremo cum ea ferre non poſſet, quae aſperius & inurbanius ſibi a Cavina objecta fuerant de igneo quodam globo, qui per ea tempora in ſublimi apparuerat & de quo libellum ediderat, ea proferre & patefacere decrevit, quae harum rerum inſcitiam in adverſario probarent. Defenſionem praeceptoris ſuſcepit quoque Gulielminius, ediditque ſummam rerum & ſententiae illius cum multis & gravibus argumentis, quibus praeſertim docebat illud μετέωρον genus ab oriente fere ad occidentem iter ſuum abſolviſſe, circulum maximum confeciſſe celeritate mirabili, neque propius terram fuiſſe millibus paſſuum XXXIV. neque longius millibus XXXXI. Ortum habere flammam illam ab exhalationibus terrae perſuaderi plane non potuit Montanario, qui adver-

ſus Honoratum Fabrium pluribus argumentis probaverat vapores, qui ex aquis tepefactis a ſole excitantur, non ultra millia paſſuum duo extolli. Videbatur credere eamdem fere eſſe materiem (fluidam nempe) hujuſmodi flammarum & fulminum, & in ignoratione earum rerum, quae ad electricitatem ſpectant, ea protuliſſe judicandus eſt Montanarius, quae a veritate non plurimum aberant. Eodem tempore magnum & difficile opus habebat in manibus, quo totam de fluidis corporibus ſententiam explicandam ſuſceperat. Cum eſſet opus unum hoc maxime phyſicum, politius ipſum limavit. Non tamen, quod mireris, pervulgavit, ut integram rem totam Gulielminio reſervaret, qui ex hoc praeſertim fonte quidquid de hydroſtatica in medium protulit, ſe hauſiſſe gloriabatur. In quo tamen ipſo licet hominis modeſtiam ſingularem ſuſpicere. Nam praeceptorem in eo, quod ab illo didicerat, longe multumque ſuperavit. Illud vero Etruſcis hominibus glorioſum, quod per Montanarium artem, quae dirigendarum aquarum ſcientiam profitetur, apud illos ortam ad Bononienſes detulerint, a quibus poſtea longiſſime (ma-

gna enim eſt vis neceſſitatis) provecta eſt. Erat porro Montanarius unus homo ex omnibus, qui cunctis prope civibus diſciplinarum cupidis lumen ingenii & conſilii ſui porrigere atque tendere poſſet; & ea ſane praeſtitit Bononiae, quae aeternitatem immortalitatemque merentur. Cogebatur in domo illius flos juventutis (huic hominum ſocietati nomen impoſitum Academiae *della Traccia*) & ad quamcumque diſputationem illi cuperent accedere, non defugiebat Montanarius, cui nihil eſſe novum, nihil inauditum eſſe videbatur. Sed praeſertim exercebat eos in experimentis phyſicis habendis, & quae ab hominibus callidis & peritis animadverſa & notata fuerant, ſtatuebat ante oculos Academicorum ſuorum. Addebat etiam plurima de ſuo, quod maxime fecit in aeris natura, ac miris ejus inveſtigandis proprietatibus, harumque legibus quibuſdam, ſi fieri potuiſſet, conſtituendis. Qua de re cogitabat librum edere, qui non modo phyſicam, ſed etiam aſtronomiam & opticam, in eo quod pertinet ad refractiones, eſſet illuſtraturus. Sed aegritudo ob imminuta Doctorum ſtipendia, ac retardatam eorum ſolu-

tionem ſine ulla rerum expectatione meliorum pene omnem ardorem induſtriamque in Montanario extinxit. Venit etiam in eam cogitationem alio migrandi, & Academiam Piſanam, invitante maxime Magliabechio, ceteris praetuliſſet, niſi recens fuiſſet memoria earum rerum, quas Bellinius aliique doctiſſimi viri a Marſilio ejuſdem Academiae curatore injuſte quidem perpeſſi fuerant. Et ſane quis fuit tam inſigniter impudens in exagitanda atque contemnenda recentiorum philoſophia? Ita factum ut Montanarius operam ſuam Academiae Patavinae addixerit, cum datum ei munus fuiſſet (res erat inuſitata & nova) explicandi aſtronomiam, atque μετέωρα. Senſere ſtatim Veneti quantas utilitates ex uno homine ipſi capturi forent. Itaque adhibebatur ab iis tum ad aquarum pericula depellenda, tum ad arces muniendas, aliaſque res bellicas perficiendas, tum demum ad monetales officinas bene & utiliter gubernandas. Quarum rerum cauſſa plura ſuſcipere itinera debuit, quae non ſine magno incommodo hominis perdita fere valetudine fuere. Hoc vehementer intererat Reipublicae, ſalubritati Vene-

tiarum conſulere, cui offici ab proxima lacuna putabatur. Hujuſmodi malum tribuerat praeſertim Benedictus Caſtellius materiae, quae a mari infundebatur in lacunam, quapropter ſuadebat haud removenda, quae in ipſam influunt, flumina, ſed augendam potius aquarum copiam, tum ad exonerandam facilius materiem, tum ad impediendum, ne a terra ab aquis derelicta vapores excitarentur. Hanc ſententiam viſus eſt confirmaſſe Alphonſus Borellius. At cum hac ipſa de re conſultus fuiſſet Montanarius, non dubitavit affirmare quotidie magis lacunam terra repleri ab influentibus fluminibus illuc advecta, & ex mixtione aquarum marinarum & fluviatilium, cum facile eae putreſcant, praeſertim oriri inſalubritatem illam: quocirca avertenda illa flumina, & ad mare uſque deducenda. Auctoritas Gulielminii, &, quod magis eſt, experientia ipſa veritatem ſententiae Montanarii comprobavit. Confecit ipſe hac eadem de re librum, qui inſcribitur: *Il mare Adriatico, e ſua corrente eſaminata ec.* Marinas aquas contento, ſed perquam lento curſu (vix enim unius diei ſpatio tria millia paſſuum conficiunt) a ſiniſtra ad

dextram juxta litus ferri certiſſimis argumentis ſibi liquere aſſerit, ex eoque fieri ut quaedam ſit aquarum communicatio inter Adriaticum, Mediterraneum, magnumque Oceanum. Ex hoc aquarum motu plura infert ſane utiliſſima ad avertendas, quae a mari cum ipſis aquis feruntur, arenas, neque fore huic malo utilius remedium, quam ſi flumen aliquod, quod in mare deducatur, iis marinis aquis opponatur. Quod enim infra eſt litus, ſeu portus, habet in iis fluminibus, quorum velocitas ad longum maris tractum durat, quaſi aggerem quemdam, qui ſubſidere arenas cogit. Etſi negotiis publicis impeditus vix ſatis otii ſuppeditare poſſet Montanarius aſtronomiae, voluntas tamen Hieronymi Cornelii hominis nobiliſſimi illum commovit, ut de cometis ſcriberet, ſumeretque iterum in manus, quod Bononiae inchoaverat, opus de inſtabilitate (ſic enim appellabat) firmamenti, cum uranometria quadam, quam in rem plures ſepoſuerat obſervationes. Optaſſet etiam quaedam ad phyſicam pertinentia perpolire & in vulgus edere, dolens nobiliſſimae ſcientiae ſtudium obſoleviſſe eo tempore, quo multo

vehementius erat retinendum, & ſtudioſius adaugendum. Nam quo indignius rem honeſtiſſimam rectiſſimamque violabat ſtultorum temeritas & audacia ſummo cum Reipublicae detrimento, eo ſtudioſius & illis reſiſtendum, & Reipublicae conſulendum eſſe intelligebat. Quapropter nec deſerendum officium putavit publice & privatim inſtituendi adoleſcentes, eosque praeparandi ad rectam ſtudiorum rationem excolendam defendendamque, e quibus nominabo praeſertim Franciſcum Blanchinium, & Aloyſium Ferdinandum Marſilium, quorum vivet immortalis memoria & gloria. Sed non omnia quae volebat ſemper praeſtare potuit Montanarius, ſeque oneribus ſuceptarum mandatarumque rerum & officii oppreſſum eſſe ſaepius dolere debuit. Idcirco minus ſtuduit vulgandis ſcriptis ſuis, quorum pleraque, eaque inſigniora, occultantur adhuc. Extant, ut vulgatorum narrationem perſequamur epiſtolae tres ad Antonium Magliabechium, de cometis, qui apparuerunt exeuntibus annis MDCLXXX. & MDCLXXXII. Memorabiles quidem hi duo cometae ſunt, quod occaſionem Newtono dederint intelligendi cometas omnes e numero erran-

rantium aſtrorum eſſe, iiſdemque omnino legibus ſubjectos, eaque propter ſic ipſos volvi circa ſolem, ut elipſin, quae ad parabolam accedit, deſcribant. Hallejus, quod dictu inopinatum atque mirabile videbatur, incredibili prope labore manifeſtum fecit. Ceteri ante illum aſtronomi, & vel Caſſinius ipſe, & qui hunc ſequebatur Montanarius, in eà erant ſententia, cometarum motus centrum, ipſam tellurem eſſe. Scripta epiſtola ad Carolum Patinum medicinae doctorem plura affert argumenta adverſus eos, qui cometas viſos annis MDCLXXXI. & inſequenti non plures, ſed unum eumdemque fuiſſe cometam putabant. Defectionem lunae, quae fuit V. Kal. Sext. an. MDCLXXXI. ſic obſervavit deſcripſitque, ut ex ejus ſcripto plura ſumpſerint aſtronomi tum ad meridianorum differentiam noſcendam, tum ad hypotheſes quaſdam de lunae motibus comprobandas. Eodem tempore, quo ſummi mathematici Hugenius, Roemerius, Picardius, Hirius, aliique in ſua quadam propria invenienda libella adlaborabant, idem tentavit Montanarius, neque infelici ſucceſſu. Nam cum aqueae libellae octo

pedes longae teleſcopium uno pede majus firmiter junxiſſet, illud obtinuit, ut ex eodem loco eodemque tempore unius milliarii diſtantiam, & majus etiam ſpatium, ſi in aequo & plano loco conſiſteret, dimetiri poſſet. In hac vero majori diſtantia dimetienda cum quaedam haberi ratio debeat telluris figurae, id ipſum admonuit Montanarius, & praecepta ad rem exequendam dedit. Opus *de libella* aliud excepit, quo inſtituendos & erudiendos ſuſcepit balliſtarios (nam, ut diximus, Veneti utebantur opera Montanarii in bello, in otio, & in negotio) ea omnia in medium proferens, quae ſummi mathematici hac de re excogitaverant, quaeque ipſe per ſe expertus fuerat. Eam vero laudem is ducebat maximam cum illis placeret, qui tum omnium Italorum ſapientiſſimi exiſtimabantur, quique benignitate liberalitateque ſingulari ejuſdem ad ſcribendum augebant induſtriam. Qua in re mirificus erat omnium Venetorum conſenſus, cum ſumma eſſet Montanarii prudentia in eorum quoque retinendo uſu atque benevolentia, inter quos maximarum rerum non ſolum aemulatio, ſed etiam obtrectatio

intercedebat. Colebat vero maxime Hieronymum Cornelium, de quo nunquam ita magnifice quidquam dici potuit, quod virtus non ſuperaverit illius. Cumque doctrina is etiam excelleret, ſpeculam in ejus aedibus faciendam Montanarius curavit, quae & meridiana linea ceteriſque aſtronomicis inſtrumentis, quorum magnam partem per ſe fabricaverat, & copia atque praeſtantia obſervationum brevi illuſtrata eſt. Sed ut ad Montanarii edita ſcripta redeat oratio, is vulgato libro, quem inſcripſit, *La tromba parlante*, ſtuduit obſequi iis, qui a ſe requirebant qua de cauſſa inventum tubae genus a Morlandio Anglo noctu ad III. & amplius paſſuum millia, interdiu vero ad D. paſſus uſque voces referret. Hoc in libro explicavit totam Galilaei doctrinam de ſono, ſuis ipſam experimentis & obſervationibus comprobans. Et quoniam in omni pene re phyſica mirabilis erat artifex Montanarius, in hoc quoque ſibi elaborandum putavit, ut per opifices Italos hujuſmodi efficerentur tubae, quae perfectione Britannicis minime concederent. Hoc opus ſecutum eſt illud, quod *de viribus Æoli* ſcripſit. Saevus enim anno

MCCLXXXVI. extiterat turbo, iſque igneus; qui Veronenſium & Patavinorum fines vaſtavit. Nec aliquid mirabile in natura accidere poſſe videbatur, quin harum rerum curioſi explicationem a Montanario requirerent. Non ſatis is fortaſſe intelligebat μετέωρα cauſſas habere obſcuriſſimas, & explicatu difficillimas, ut jam phyſici plerique, cum ad hunc locum venerint, ſatis habeant ea colligere, quae miremur. Nihil certe mirabilius turbine, de quo Montanarius in diſputatione & dialogo ſcribendum ſuſcepit, vix ut majorem extitiſſe crederet. Exortus ille ab Africo iter in latitudinem quingentorum paſſuum, in longitudinem autem quadraginta paſſuum millia confecit. Nihilo tamen minus dimidiati quadrantis ſpatio diſſipatus eſt. Non unum, ſed plures fuiſſe ventos, qui in diverſa nitentes, & circumacti immanem verticem effecerunt, plurimis ex ſignis apparuit. Hic autem vortex cum e centro aerem abire cogat, fit ibi vacuum, quod ſuperincumbentis athmoſphaerae vi coacta corpora occupare compelluntur. Ex hac cauſſa oriri putat Montanarius maximam vim illam, qua turbo qua-

cunque tranſit, multa cujuſquemodi rapit; nec aquas ſolum, homines, armenta, lapides, ſed & magnos arborum truncos ceteraque hujuſmodi graviſſima corpora ſublime fert, & longo tranſvehit ſpatio. In hac exponenda ſententia multa alia phyſica affert, quod ad rem, de qua egit, pertinere putavit, utque varietate quadam dialogum condiret. Quem cum ad umbilicum minime perduxiſſet, praeſtitit id ejus amantiſſimus diſcipulus Franciſcus Blanchinius. Hic autem in illo edendo rem gratam ſe lectoribus facturum arbitratus eſt, ſi ipſi adderet quae de vacuo quondam diſſeruerat Montanarius, & de hujus vita pauca quaedam exponeret. Mirum profecto videri debet quadraginta tribus poſt annis eodem ferme loco, eodemque anni tempore turbinem multis modis ſimilem extitiſſe. De eo plura retulit Heraclitus Manfredius ad Academicos Bononienſis Inſtituti, ſpem habens fore ut ſi plurima hujus generis μετέωρα deſcripta fuerint, quemadmodum procellarum ſyſtemata ab aliquibus jam conduntur, ſic etiam turbinum aliquando condi poſſint; idque a poſteris quaſi requirebat. Voluntas

23744

non improbanda (1). Sed illuc revertor. Fuerunt, qui putarent nihil tum accidiſſe, quod vere ab aſtrologis quibuſdam non fuerit ante praedictum. Irriſit ſemper Montanarius hujuſmodi praedictiones, dolens tantam apud omnes fidem mereri dicta, quae ſine ulla probabili conjectura rationeque, ſed caſu ac fortuito pronuntiabantur. Itaque non tam ſtultis hominibus quam temporibus iratus ſaepe ac vehementer contra aſtrologos declamabat, neque ullum munus majus meliuſve reipublicae afferre ſe poſſe putavit, quam ſi doceret juventutem praeſertim, quae facile in errorem rapitur, ex fraude, fallaciis, mendaciiſque illos conſtare totos. Cum vero id effici non poſſe conſideret ſola rationum copia alieniſque exemplis, uſus eſt propriis, & iis quidem claris & illuſtribus. Per plures enim annos confecit aſtrologicas ephemerides, idque ſecreto, licet in iis conficiendis plures adeſſent prudentes viri, quos non modo teſtes, ſed etiam ſocios habere voluit Montanarius ſuarum fortuitarum praedictionum. Quamvis ſine ratione ulla, aut arte, aut uſu, aut conje-

(1) Vid. Commentar. Acad. Inſtit. Tom. II. part. I. pag. 458.

ctura, ſed temere & caſu quid principibus viris eventurum, quo quiſque fato natus eſſet, qui rerum publicarum motus, quae tempeſtates futurae eſſent, praenuntiaverit, nullumque divinationis genus ab eo relictum eſſe videretur, ſaepe tamen res & eventus praedictionem comprobavit. Narrationem harum rerum aptiſſimam eſſe putavit ad vanitatis non ſolum & imprudentiae, ſed etiam amentiae convincendos eos, qui aſtrologiae ſe dediderunt, quod in ea nulla eſſe poſſit praeſenſio, aut ſcientia veritatis futurae. Liber itaque, quem hac de re vulgavit, ab eo inſcriptus eſt: *l'aſtrologia convinta di falſo*, in quo multa etiam aſtronomica ſparſit, cum ſibi propoſuiſſet oſtendere, quid in rebus terreſtribus re vera poſſint aſtra, & quomodo acceſſus & receſſus maritimorum aeſtuum lunae motibus gubernentur. Sed nihil neceſſe eſt de ſingulis dicere. Tantum ſat eſt intelligi fuiſſe Montanarium hominem prudentiſſimum in ſeparandis iis rebus, quae vel opinione vulgi, vel doctrina continentur. Iis profecto temporibus, quibus multa erant inventa fallaciis aut ad quaeſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad er-

rorem, quibuſque haud quidquam tam vulgare erat, quam *nihil ſapere*, illud profecto opus & munus hominis ſapientis proprium eſſe maxime videbatur a philoſophia commentitias fabulas explodere, ac ſuperſtitionis ſtirpes omnes, ſi fieri potuiſſet, evellere. Si quieto & vacuo animo fuiſſet Montanarius, multa quidem hujuſmodi ſparſiſſet in vulgus, cum in ipſis graviſſimis Senatus Veneti mandatis exequendis ſibi aliquid ſepoſuiſſet temporis ad perficiendum opus, quod inſcripſerat: *Faſciculus epiſtolarum phyſico-mathematicarum*. In eo locos graves ex phyſica, matheſi & aſtronomia tractabat, ea probabat quae ſimillima veri videbantur, conferebat cauſſas, & quid in quamque ſententiam dici poſſet non ſolum docte & erudite, ſed etiam eleganter, & interdum hilare, ut ſeveritatem argumenti mitigaret, & lectores magis alliceret, expromebat. Sed cum opus hoc, & illud alterum *de monetis*, quod maxime πολιτικὸν eſſe dicebat, haberet in manibus, oppreſſit ipſum mors, quam obivit III. Id. Octobris MDCLXXXVII. Quinquennio ferme antea e periculoſa & diuturna febri, quam levis apoplexis excepit, conva-

fuerat. Cum ſuaderent medici ut a lectione ſcriptioneque ſe abſtineret, & ab omni occupatione ſcholae pauliſper faceſſeret, eorum non paruit conſiliis; qua re factum eſt, ut veteri morbo oculorum, aliiſque valetudinis incommodis gravius tentaretur. Praevidit tum ſe diu non eſſe victurum; quare decrevit religioni impenſius vacare, ne invitus & imparatus ex hac vita migraret. Sepultus eſt cum pompa funeris ad S. Benedicti, tumuloque haec poſita inſcriptio.

HIC JACET
GEMINIANUS MONTANARIUS
CIVIS MUTINENSIS
PHILOSOPHIAE JURISPRUDENTIAE
AC MEDICINAE
DOCTOR
MATHEMATICUS NULLI SECUNDUS
PRIMUM BONONIAE
PER XIV. ANNOS PUBLICE DOCUERAT
DEIN IN EJUS HONOREM
A SER. REPUBLICA
ERECTAM IN ARCHI-LYCEO PATAVINO
ASTRONOMIAE CATHEDRAM

METEORUM DISCIPLINAE CONJUNCTAM
PLAUDENTE SENATU ACADEMIA
ORBEQUE LITTERATO
PER IX. ANNOS
DILIGENTISSIME CONSCENDIT,
TANDEM STUDIIS POTIUS
QUAM ANNIS CONFECTUS
FREQUENTI PERCULSUS APOPLEXIA
MORTALES RELIQUIT EXUVIAS
PATAVII
A. C. M. DC. LXXXVII. AETAT. LV
LAURENTIUS BACCHETT.
PATAVINUS JURISCONSULTUS
MED. DOCTOR ET BROFESSOR
PRAECEPTORI SUO DILECTISSIMO
M. H. P.

Heredem fecit hominis amiciſſimi filium, cum ex Eliſabetha uxore nullos ſuſcepiſſet liberos. Qua de femina hoc memoriae prodendum eſſe videtur, haud ignaram phyſicarum rerum fuiſſe, & artem noviſſe teleſcopia, ceteraque hujuſmodi inſtrumenta fabricandi. Non lautum quidem & copioſum patrimo-

nium reliquit Montanarius, quanquam illius augendi occaſionem ipſi dederint Veneti & datis muneribus, & aucto annuo ſtipendio ad nongentos uſque florenos. Benigne quoque ac liberaliter ſe geſſit in Rinaldium Ruaeum Gallum, qui ſibi a ſtudiis fuerat, hominem ſane probum ac multarum rerum peritum, qui poſtquam plura itinera feciſſet, praeſertim in Africa & America, tanquam in portum, in Montanarii domum confugit. Omnes quidem commemorabant de ſingulari comitate Montanarii in amicitiis tuendis; & quia is florebat gratia atque hoſpitiis nobiliſſimorum hominum, multi ejus commendatione fortunas haud vulgares conſecuti ſunt. Cum adoleſcentiae cupiditates in eo deferbuiſſent, conſediſſe quoque videbatur ille ardor animi, quo non tam dimicare & vincere, quam ulciſci adverſarios in illis ſuis litterariis diſputationibus optabat. Quapropter ne laceſſitus quidem ab Honorato Fabrio, qui multa attulit in ſuis dialogis phyſicis contraria ſententiis Montanarii, quidquam illi reſpondit; nec queſtus eſt aut cum Antonio Grandio, aut cum Claudio Chaleſio, qui a ſe multa ſur-

repta, tanquam propria, callide venditarant. Quid profecto ſuperbius quam iraſci ac ſuccenſere omnibus iis, qui a nobis diſſentiunt; & quaſi multae offenſionum datae ſint cauſſae, aſſiduas jacere ore & ſcripto querelas, omneſque invitare ad noſtram cauſſam cognoſcendam defendendamque? Si qui fato malo diſputare aut ament aut cogantur, quam velim illos dictis factiſque non iracundiae & dolori, ſed publicae utilitati, dignitatique litterarum ſervire!

OPERA EDITA.

Cometes Bononiae obſervatus an. 1664. & 1665. Aſtronomico-phyſica Diſſertatio Geminiani Montanarii J. V. D. Mutinenſis in almo Bononienſi Archigymnaſio mathematicarum ſcientiarum publici Profeſſoris ad Illuſtriſs. DD. Sapientiſſimi Bononienſis Senatus L. Viros. Bononiae 1665. in 4.

Ephemeris Lambergiana ad longitudinem almae matris ſtudiorum Bononiae ad an. 1666. nuperrime ſupputata a Geminiano Montanari J. V. D. Mutinenſi Bononienſis Archigymnaſii mathematicarum ſcientiarum publico Profeſſore. Addita in fine ephemeride motus ſolis ex tabulis Excellentiſs. Do. Jo. Dominici Caſſinii ejuſdem Archigymnaſii Aſtronomi una cum ejuſdem D. Caſſinii ep. reſponſiva ad auctorem: multa de ejus ſolari hypotheſi & refractionum doctrina ad dubia R. P. Jo. Baptiſtae Ricciolii tollenda continent. *Bononiae ex typographia Ferroniana 1665. in 4.*

Penſieri ſiſico-matematici ſopra alcune eſperienze fatte in Bologna, intorno diverſi effetti di liquori in cannuccie di vetro, ed altri vaſi ec. in 4. Bologna.

Lettera all' Illuſtriſs. e Rev. S. Abate Sampieri, in riſpoſta ad alcune objezioni intorno a' ſuoi penſieri ſiſico-matematici, in 4. Bologna 1667.

Scritti varj intorno alle controverſie col Roſſetti 1668. Horum ſcriptorum quaedam proprio vulgavit nomine Montanarius, quaedam alieno. Ex ipſius Montanarii narratione intelliges, quae fuerit controverſiarum origo. Quomodo vero ſe excuſaverit Roſſettus, ut omnem culpam in Montanarium transferret, ex ipſius intelliges epiſtola, quam nos edidimus in Tom. I. *Delle lettere inedite d' uomini illuſtri pag. 229.*

Speculazioni fiſiche del Dot. Geminiano Montanari Modaneſe ſopra gli effetti di que' vetri temprati, che rotti in una parte ſi ſſolvono tutti in polvere, eſpoſti in due lettere una al Ser. Granduca Ferdinando II., l'altra all' Illuſtriſs. Sig. Co. Girolamo Savorgnano nobile Veneto. In Bologna per li Manoleſſi 1671. in 4.

Diſcorſo accademico ſopra la ſparizione di alcune ſtelle, ed altre novità ſcoperte nel cielo, inſerto fra le Proſe de' SS. Accademici Gelati, del Dott. Geminiano Montanari, l' Elevato Accademico, in 4. Bologna 1672.

La Livella diottrica del Dot. Montanari ec. nuova invenzione per livellare il cannocchiale con maggiore eſattezza e facilità, che per l' addietro con altre livelle non ſi è fatto, aggiuntovi il modo di miſurare una diſtanza incognita con una ſola ſtazione, guardando nel cannocchiale, e un nuovo e facile modo di miſurare mediante la livella medeſima il vero circuito della terra. In Bologna 1674. in 4.

Fiamma volante gran meteora veduta ſopra l' Italia la ſi-

va del dì 31. Marzo 1676. ſpeculazioni fiſiche ed aſtronomiche eſpreſſe dal Dott. Geminiano Montanari in una lettera al Sig. Marcheſe Gonzaga. Bologna per li Manoleſſi 1676.

Copia di lettera del Dott. Montanari ſcritta al Sig. Marcheſe Gio. Giuſeppe Orſi a Mantova ſopra un impreſſione meteoreologica. Bologna per li Manoleſſi 1676.

Lezione accademica avuta nell' Accademia di S. A. R. in Torino il giorno 5. Marzo 1678. dal Dott. Geminiano Montanari Modaneſe ec. ſopra le controverſie letterarie paſſate fra lui e il dottiſſimo Sig. N. N. dedicata a Madama Reale in Torino 1678. per Bartolommeo Zappata.

Manualetto de' bombiſti, ovvero riſtretto delle avvertenze più neceſſarie per ben maneggiare i mortari, aggiuntevi le tavole delle inclinazioni di eſſi mortari per fare i tiri giuſti calcolate ſecondo la dottrina del Galileo e di altri matematici, e ridotte ad uſo facile da ſervirſene ſenza far conti ec. ſeconda impreſſione. In Verona 1682. per Gio. Batiſta Merlo in 24. In fine extat epiſtola *ſopra la linea parabolica deſcritta dalle palle.*

Copia di due lettere ſcritte all' Illuſtriſs. Sig. Antonio Magliabechi ſopra i moti e le apparenze delle due comete ultimamente apparſe ſul fine di Novembre 1680, nelle coſtellazioni di Vergine e Libra, e ſul fine di Dicembre in quella di Capricorno.

Copia di lettera ſcritta al medeſimo intorno alla nuova cometa apparſa in queſt' anno 1682. ſotto i piedi dell' Orſa maggiore. Padova 1682.

L' Aſtrologia convinta di falſo. Venezia 1685. in 4.

Diſcorſo ſopra la tromba parlante del Sig. Dot. Geminiano Montanari Profeſſore delle matematiche in Padova, aggiuntovi un trattato poſtumo del mare Adriatico e ſua corrente

eſaminata, e la naturalezza de' fiumi ſcoperta, e con nuove forme di ripari corretta: Penſieri del Dott. Geminiano Montanari eſpreſſi già tempo fà in due lettere alla gl. mem. dell' Em. Sig. Card. Pietro Baſadonna, e ora pubblicato a comun beneficio. Opera poſtuma Venezia 1715. *per Girolamo Albrizzi.*

Le forze di Eolo Dialogo fiſico-matematico ſopra gli effetti del vortice o ſia turbine detto negli Stati Veneti la Biſciabuova ec. opera poſtuma. Parma 1694. *in* 12. Ibi extat quoque *Diſcorſo del vacuo recitato nell' Accademia della Traccia an.* 1675. Extat etiam: *Lettera in cui riſponde il Sig. Dot. Montanari al queſito perchè li foreſtieri che capitano in Venezia ſi ſtancano nell' andare in gondola, e li Sigg. Veneziani non ſentono alcuna ſtanchezza dal lungo andarvi.*

Epiſtola Montanarii ad Carolum Patinum de cometis anni 1681. & 1682. Plures Montanarii epiſtolas nos edidimus co in libro, qui inſcribitur, *Lettere inedite d' uomini illuſtri.*

OPERA INEDITA.

L' ingegnero civile diviſo in due libri, nei quali ſi contiene tutto ciò che dalle ſcienze matematiche ha biſogno di ſapere un pubblico perito per gli uſi civili.

L' ingegnero militare diviſo in ſei libri, ne' quali la fabbrica offeſa, e difeſa dalle fortezze, il maneggio dell' artiglierie, de' mortari, e de' fuochi artifiziati, breve e chiaramente s' inſegnano.

L' ingegnero d' acque, nel quale la ſcienza della miſura dell' acque correnti vien promoſſa, corretta, e dilucidata per la pratica. La natura de' fiumi, l' arte di ripararli, dirigerli vien con nuove dottrine, ed eſperienze ſtabilita e dichiarata.

La natura, peſo, ed equilibrio de' corpi fluidi, trattato fiſico-matematico.

De uſu reticulae in teleſcopio ad caeleſtia, & ad terreſtria adhibendae, tractatus aſtronomico-geometricus.

La caccia del frugnuolo, ovvero l' aſtrologia giudiciaria con nuove dottrine confutata, e con nuove eſperienze deluſa, e deriſa.

L' eſame delle comete nel quale oltre l' iſtoria e oſſervazioni delle due comete apparſe nel 1680. e 1681., ſi diſcorre fiſico-aſtronomicamente in cinque dialoghi

1. Della reale, o apparente eſiſtenza della comete:

2. Della parallaſſe, o nuovo modo dell' Autore d' oſſervarla eſente da refrazioni:

3. Della linea del moto della cometa, o ſia ſua trajezione nel cielo:

4. Se le comete ſiano corpi temporanei, o coetanei al mondo:

5. Delle conſeguenze che dal moto delle comete altri voleſſe dedurre per il ſiſtema del mondo.

Contemplazioni diottriche, opera geometrica, nella quale da' ſuoi principj ſi dimoſtrano tutti gli effetti, e difetti del Teleſcopio, e del Microſcopio.

Meteorologia phyſico-aſtronomica; Exercitationes in IV. libros meteor. Ariſtotelis.

L' inſtabilità del firmamento; oſſervazioni aſtronomiche ec.

Compendio della ſcienza meccanica, e ſue figure.

Trattato della trigonometria piana. Compendio della natura de' logaritmi.

Compendium doctrinae ſphaericae, & geographiae.

Compendio dell' architettura militare, o ſia fortificazione

diviſo in due parti, nella prima ſi contiene la fabbrica, nella ſeconda ſi contiene la difeſa, e l' offeſa.

Trattati di geometria pratica.

Lettere, e manoſcritti di diverſe materie.

Trattato delle vere cagioni del creſcere di valore le monete, danni pubblici, e privati che ne provengano, e modo di sfuggirli. Multum elaboraverat Montanarius in hoc opere conficiendo. Minime vero ingratum lectori futurum arbitror, ſi hic afferam epiſtolam ejuſdem Montanarii ad Jo. Dom. Caſſinium, ex qua intelligi poterunt multa ad illud ipſum opus, & ad Auctorem pertinentia.

Illuſtriſs. Sig. mio Sig. Colendiſs.

NON molto buone nuove di me avrà recato con ſue lettere a VS. Illuſtr. il P. Coronelli, che m' ha favorito della pregiatiſſima ſua lettera nel ſuo ritorno paſſando a Venezia. Battuto queſto autunno ſcorſo d' una doppia terzana continua con recidiva, accompagnata di vertigini, e intermittenza del polſo, e ſeguitata da lunga e debole convaleſcenza, finalmente la mattina de 26. Dicembre la mano del Signore Iddio mi toccò d' un accidente apopletico leggiero nella parte ſiniſtra, ſe ſi può dir leggiera l' apopleſſia. Vado però col divino ajuto rimettendomi aſſai bene, e col decotto di cina, e ſtuſa, che queſta primavera mi preparano, ſpero ricuperarmi aſſai bene, non avendomi il male impedito ſe non leggiermente il moto, aggravando qualche coſa più il ſenſo del tatto alla parte che però vado riavendo; e per altro camino, e parlo ſpedito. Ma il peggiore de' mali è la debolezza del capo, che rega-

ge poco alle applicazioni, di che ſono ſtate elle ſteſſe la cauſa.

Io mi viveva in aſſai proſpera ſalute dopo avere acquiſtata (lode a Dio) in queſto paeſe ſtima aſſai maggiore del merito, mentre la Sereniſs. Repubblica ſi valeva quaſi del continuo di me a conſulta ne' Magiſtrati dell'acque, dell'artiglierie, delle miniere, delle monete, ed altro, ed era in piedi qualche trattato di darmi titolo di Conſultore matematico, con buona provviſione per dovere ſtar ſei meſi dell' anno in Venezia, e ſei a Padova; e frattanto m'avevano rinovata la condotta quaſi due anni prima di compire la prima con 300. ducati d'aumento, onde ho adeſſo per la ſola Cattedra 900. ducati l'anno, che ſono circa da 200. doble l'anno, compreſo l' eſenzioni, e di più l'utile del Collegio ec. Ma perchè fui ſempre deſtinato a faticar molto, e goder poco, ora mi conviene diſputar la vita con i Medici, e Speziali, quando era tempo ormai di cominciare a vivere. La colpa è però della mia ſolita troppa applicazione, e in particolare l'avere frappoſto a tant' altri ſtudj anche quello delle monete, e fatti queſta eſtate sforzi di ſtudio per compire un opera ſopra queſta materia che intitolerò forſe; *Il Conſultor di Zecca*, o *la Zecca regolata ec.* nella quale eſamino le vere cagioni dell'accreſcimento che va ſempre facendoſi al valor delle monete, i danni che ne ricevono i Principi, e i Popoli, e le vere regole da preſervar gli Stati da cotali pregiudizj; e ſarà opera, ſe non m'inganna l'amor proprio, di univerſal utile, non ſolo per non eſſere ſtato fin quì chi di tal modo eſamini queſta materia, e ne riduca in chiaro le vere maſſime, come ho fatto io, ma dilettevole ancora per averla veſtita d' erudizione antica, e moderna, con molte importanti notizie, e caſi

ſucceduti a' noſtri giorni, e nel paſſato ſecolo, che dilucidano mirabilmente la materia. Sono reſtati attoniti a Venezia quando ho fatto veder loro dimoſtrativamente che dal 1600. in quà eglino hanno perduta quaſi la metà dell' entrate pubbliche a cauſa dell' alzamento delle monete, e che tutto è provenuto dall' alterazione dello zecchino, nel quale avevano per maſſima coſtante d'avere fatto altiſſimi guadagni.

Queſto è ſtato lo ſtudio, che m' ha portato le infermità, ma, grazie a Dio, l' opera è finita, e ſolo vado rivedendola, e facendola copiare al pulito, per metterla ſotto il torchio verſo Paſqua. Il P. Coronelli m' ha detto che vi ſono adeſſo grandiſſimi diſordini per le monete in Francia, il che avevo pronoſticato io due anni ſono in certa mia ſcrittura a queſti Signori ſul fondamento d' alcune informazioni, che ebbi da chi veniva di coſtà, che mi diſſe eſſerſi battuta gran quantità di monete da quattro ſoldi, ſe non erro, che non contenevano il ſuo valore; il che avrà creduto S. M. e ſuoi Miniſtri riſulti a profitto Regio; e infatti non può non riſultare a danno grandiſſimo e delle Regie entrate, e dei Popoli.

Ora queſt' opera vorrei io raccomandare a VS. Illuſtr. perchè col ſolito ſuo amore ſincero, di che m'ha ſempre favorito, m' avviſaſſe, ſe ſtimerebbe coſa a propoſito dedicarla a coteſto gran Re, al quale deſtinavo prima dedicare la mia opera fiſico-aſtronomica ſopra le comete, ma le pubbliche occupazioni, e lo ſtato preſente di mia ſalute non m' aſſicurano più di finirla, e non vorrei morire ſenz' avermi preſo l' onore di conſacrar alcuna coſa del mio a sì gran Monarca. Il volume veramente non è grande perchè non credo eccederà 35. in 40. fogli; ma ſe VS. Illuſtr. mi darà animo, io lo farò ſtampare in forma magnifica, e

nobile. Altro mezzo che lei non ho, nè voglio cercare, perchè ella nel mio cuore è deſcritta per il più vero, ed amorevole amico, che io mai aveſſi, ed ha ella tutti i mezzi neceſſarj, quando nelle congiunture correnti, ella ne approvi il penſiero; onde la ſupplico con tutto il cuore a favorirmi del ſuo parere ed ajuto. Godo infinitamente delle nuove che m' ha dato il P. Coronelli dell' ottima ſua ſalute, e di Madama ſua, e de' Sigg. ſuoi figli, a' quali tutti prego dal Signore Iddio perpetua felicità, e gli aſſicuro che io ne godo quanto d' ogni mia maggior fortuna ſarei.

Fui a Bologna l' eſtate decorſa, trovai la ſua nobile meridiana in cattivo ſtato perchè era ſtata ſtaccata dal ſuo luogo la piaſtra del forame, ed io non ebbi tempo di collocarla di nuovo al ſuo luogo come deſiderava ſolo quando era per partir fra due giorni: ne parlai però all' Illuſtriſs. Fachinetti che diede ordine perchè occorrendo poteſſe andarci, ed eſſer aſſiſtito occorendo il Sig. Dott. Guglielmini già mio ſcolare, e che è bell' ingegno, e diligente, al quale promiſi mandar iſtruzione pieniſſima per ſituarla ſenza errore; e pregai il Sig. Quaranta Bentivogli favorirlo, ed egli corteſemente mi promiſe aſſiſtere a tutto, e levar ogni oſtacolo anche di borſa occorrendo, il che faceva egli di tutto genio: ma giunto a caſa fui chiamato a Verona, ove m' infermai, e d' allora in quà non ho potuto più applicarci. Tornò poi di Francia il Sig. A. Felice Marſilj, e mi dice il P. Coronelli ch' egli aveva particolari inſtruzioni da VS. Illuſtriſs, ond' egli può ſupplire alle mie forzoſe negligenze, maſſime unendoſi, come ſento, col Guglielmini, perchè altri non v' è a Bologna che ſia a propoſito. Io aveva deſtinato prima di ſapere del Sig. Marſilj, di riportarmi a Bologna la primavera ventura per le rogazioni. Ma l' apopleſſia mi vuol

Ea forno a quel tempo, onde non sò ciò che ſarà, che per altro avrei avuto ambizione a ſervirla io in perſona, e mi dolſe non averlo ſaputo a tempo queſt' eſtate; perchè fui forzato per pubblico negozio di quà ritornare a caſa. Per altro, il P. Coronelli m' ha fatto un offeſa ſu queſt' affare, e per parte di VS. Illuſtr. e per parte del Sig. Anton Felice ch' era affatto ſuperfluo, e tanto, che poſſo giurare a VS. Illuſtr. che prima del P. Coronelli non ho avuta notizia di coſa veruna per conto del Sig. Anton Felice, ed io che non ho altra ambizione e deſiderio che ſervir alla gloria di lei, e che ſono sì antico ſervitore ſuo, e del Sig. Anton Felice, non sò come mai poſſa chiccheſſia figurarſi che io aveſſi puntigli improprj in un negozio ove ogn' uno concorre nel deſiderio del pubblico ſervizio e del particolare di lei ancora.

Che però ho ſcritto al medeſimo Sig. Anton Felice, acciò reſti perſuaſo dell' animo mio lontano da ogn' altra ambizione in queſto fatto, fuor di quello di ſervire all' uno, ed all' altro, onde rimetto in lui l' operare, il valerſi di chi a lui piace, e il comandarmi ſe dal mio canto poſſo in alcuna coſa contribuire, ſebbene quando ſia già inſtrutto da lei, baſterà; ma occorrendogli non mi riſparmierò in conto alcuno; e voleſſe pure Iddio, che io paſſaſſi con felicità, e utile la mia lunga purga, che devo fare, il che pero ſpero, e certo ſe mi troverò bene di ſalute in tempo, non mancherò d' andare.

Mia conſorte riveriſce VS. Illuſtriſs., e Madama ſua, e figli: abbiamo noi ancora un figliolino di due anni, ma poſticcio. Queſto fu l' unico maſchio che laſciò il Sig. Giacomo Pighi Anatomico primario di queſto Studio, mio ſtrettiſſimo e cordialiſſimo amico, che morto in età di 34. anni

ha privato queſto Studio della più bella gioja che vi foſſe, e laſciò queſto bambino, e due bambine, e lo ſtato ſuo così tenue, che pagati i debiti, e la dote della moglie, non n'è reſtato nulla, onde io mi preſi queſto per figlio, e mia conſorte lo alleva con tenerezza più che di madre. Oh ſe VS. Illuſtr. aveſſe conoſciuto queſto bell' ingegno, quanto rara coſa ſarebbe parſo a lei ancora! Lo chiamavano quà la Sirene dello Studio, perchè le ſue lezioni, e il ſuo parlare anche eſtemporaneo era d' una sì terſa, e dilettevole latinità, che pareva ſentir leggere il Barclaio; ma l'ingegno nella ſiſica, l'erudizione e la finezza del giudizio non avevano paragone, e quel che era più, bellezze d' anima le più ſcelte che ſi ſappiano deſcrivere. Due grandi amici, che ho avuto in queſto mondo, de' quali come di grandiſſima fortuna mi pregiavo, gli ho goduti poco, perchè non li meritavo; uno ch' è VS. ſeparatomi con tanta diſtanza, l'altro il Pighi toltomi per l' affatto dalla morte. Dio conceda lunga vita a lei, onde poſſa vedere i pronepoti, e goder tranquillamente le meritate ſue fortune.

La ſupplico favorirmi di qualche comando qualche volta quà, ſe vaglio o per lei o per altri. Avendo un pò di tugurio in Padova ove paſſando qualche ſuo amico poſſo anche riceverlo, e ſervirlo, e darle ſaggio almeno della mia cordialità.

Finiſco col ſoggiungere, che io aveva già qualche piccolo impegno con un Senatore o due per dedicar il libro alla Sereniſs. Repubblica, ma ora che ſi tratta di guerra v' è altri penſieri, onde poſſo liberamente, tanto più che forſe tratterebbono di farmi Cavaliere del Senato, ch' è bene un onore ſtimato quà, ma non ho ancora fieno abbaſtanza per tener cavalli, e non voglio eſſer Cavaliere a piedi. Ho

qualche ſervitù con codeſto Eccellentiſs. Veniero Ambaſciadore, e però può VS. Illuſtriſs. dar le ſue lettere a S. E., che io pure a S. E. manderò le mie col piego pubblico, e così potremo rivederci in carta con meno incomodo: e frattanto pregandola ſcuſare la mia lunghezza reſto col riverirla oſſequioſamente.

Padova 25. Febbraro 1684.

Di VS. Illuſtriſs.

Se poteſſe ella darmi qualche ragguaglio de' diſordini delle monete coſtì, mi ſarebbe grandiſſimo favore.

Dev. ed Obb. Servitore
G. Montanari.

ANGELUS FABRONIUS

DOMINICO COTUNIO

S. P. D.

QUoniam me tecum, doctiſſime Cotuni, de re anatomica balbutire ſinis, non ab re erit, poſtquam ſuperiori epiſtola expoſuimus hujus artis percipiendae tractandaeque difficultatem, nunc ortum ejuſdem progreſſionemque perſequi. Credibile quidem eſt haud ignaros utiliſſimae ſcientiae fuiſſe Judaeos, ceteraſque antiquiſſimas gentes, Chaldaeos, Perſas, quibus mos erat hoſtias immolare. Aegyptii, quamvis omne fere beſtiarum genus conſecrare, & carnificinam prius ſubire, quam aut taurum, aut felem, aut canem, aut crocodilum violare conſueſſent, ſatis tamen periti zoologiae fuiſſe videntur, cujus rei monumenta certa eſſe poſſunt Sphinges quaedam in eorum obeliſcis expreſſae, & marmorea illa Leonum ſigna, quae Romanum Capitolium, & fontem, ut vocant, Felicem ornant. Quod ad anthropologiam pertinet, nemo ignorat conſuetudinem illius gentis aperiendi

condiendique cadavera, quae res ad eorum miram fabricam noſcendam facile conducere poterat; & ſane praeclara adeo ab Homero & Herodoto de Aegyptiorum medicina praedicari haud potuiſſent, niſi ſubſidium anatomes ad illam exercendam ſibi comparaſſent. De Graecis nihil attinet dicere: nam cum ab his philoſophia, omneſque ingenuae artes aut progenitae aut perfectae fuerint, negligi ab iiſdem non poſſe videbatur anatome, a qua non medicina modo & chirurgia, ſed & ſculptura atque pictura maxime adjuvantur. Quare minime eſt mirandum ſi praeclarus ille univerſae naturae pictor Homerus in lethalibus vulneribus ſuorum Heroum deſcribendis ſe peritum adeo ſtructurae humani corporis oſtendat, ut tendinum non modo inſertiones indicet, immo & ligamentum, quo hepar ſepto nectitur, & reconditos iſchiorum ſinus rotundos, quibus femorum capita arctantur atque moventur. Hoc autem ſtudium anatomes commune fuiſſe univerſae Graeciae videtur; & quod Crotone unus omnium maxime floreret Timaeus Locrus, hunc auctorem & ducem habuit Plato in conſcribendo dialogo, quem ab illius nomine appellavit, in quo multa de mira hominis fabrica, & de viribus, quibus & movemur & ſentimus,

Errata vero quaedam ei facile condonabimus, ſi recordabimur non meliora fortaſſe protuliſſe Democritum, & ipſum medicorum principem Hippocratem. Maxime autem vir prudentiſſimus eas rationes exquirens, quibus non magni in re anatomica progreſſus fiebant, nihil non egit, ut hominum mentes liberaret ſuperſtitioſa ſollicitudine erga defunctorum corpora, acute eleganterque probans animum, cum ſemel corpus tanquam alienam domum reliquerit, non curare amplius quid de eo fiat. Ex quo eveniſſe puto, ut magnus ille humanae naturae inveſtigator Eraſiſtratus ab Antiocho Syriae rege obtinuerit facultatem incidendi nocentium corpora, qui morte damnati fuerant. Hujusmodi mos poſtea tranſiit ad Aegyptios, imperantibus utroque Ptolemaeo Lagi filio, & Philadelpho; favitque adeo fortuna Herophilo Chalcedonio in ſecandis capite damnatorum cadaveribus, ut vaſa chylifera viderit, & figuras ſituſque plurium viſcerum ignoratos deſcripſerit. Quis profecto non mirabitur ſolertiſſimo viro vel illud innotuiſſe, jecur perquam raro in hominibus, non raro autem in brutis in ſiniſtra parte reperiri? Habuerint haec inventa obtrectationem. Tantis enim viris maledici deeſſe non poterant, qui eoſdem criminati ſunt

vivos interemiſſe homines. Sed non propterea iis & lingua obmutuit, & manus obtorpuere, ex quo veluti fonte manarunt veriora medicinae dogmata, & illius praeſertim, quae manu curat, quorum pleraque ad nos uſque pervenere. Extinctis Ptolemaeis, qui omnis praeclarae artis atque doctrinae patroni, cuſtodes defenſoreſque fuerant, religioni iterum haberi coepit mortuorum corpora cultro ſecare, honoremque ſepulturae iis denegare; quod quidem ſpeciem quamdam humanitatis habere videbatur, cum re vera inhumanum eſſet, retardare progreſſiones ſcientiae, cui hominum ſalus propoſita eſt. Itaque in tot veterum ſcriptis poſt Herophilum nullum extat exemplum diſſecti cadaveris praeter unum aut alterum vel hoſtis in bello caeſi, vel mortui infantis expoſiti, quae etiam feſtinanter & meticuloſe diſſecta fuiſſe animadvertimus. Non idcirco tamen tum apud Graecos, tum apud Romanos Graecorum aemulos omnem humani corporis cognitionem a diligentibus medicis neglectam fuiſſe judicare debemus; quin immo ſtudioſe illam perquiſiviſſe monumenta teſtantur. Nihil dico de Aſclepiade, Muſa, Archigene, Sorano, Marino, quod eorum ſcripta ad nos minime pervenerint. Rufi profecto, Celſi, Aretaei & Aureliani mira

in hac re diligentia & ſagacitas apparuit, ut per eam maxime nobilitari voluiſſe videantur. Quis eſt, cui perſpicua non ſint ſingularia ſtudia Galeni, qui licet hominem nunquam ſecuerit, collectis tamen collatiſque ſuperiorum medicorum libris, omnique arrepta occaſione inſpiciendi aut vivi corporis vulnera, aut mortui oſſa, & continua brutorum animalium ſectione, quod tum diſci potuit de anatome didicit, & quod iis, qui illam tractaverant, defuit, ipſe magna ex parte attulit? Atque haec ſingularis hominis diligentia retardaſſe potius, quam excitaſſe poſteriorum medicorum induſtriam viſa eſt, cum naturam non amplius in ipſa natura, ut Baconis verbis utar, ſed in Galeni libris inquirerent. Conſecuta poſtea ea ſunt tempora non medicinae modo & anatomi, ſed cunctis diſciplinis ingenuiſque artibus calamitoſiſſima, cum ſempiterna nox offuſa iis Barbarorum opera videretur. Fatendum tamen eſt Arabes medicos in tantis tenebris noviſſe praeſtantiam anatomes, atque utilitatem, quam medicinae & chirurgia ab ea comparari ſibi poterant. Sed ſuis occupati tricis, nugis, erroribus ſuperſtitionibuſque nihil adjumenti nobiliſſimae facultati attulerunt. Quo tempore ad adſpiciendam lucem revocari coeperunt litterae, conditaeque in

univerſa Italia publicae Academiae fuerunt, ad quas tanquam ad mercaturam omnium bonarum artium proficiſcerentur ſtudioſi adoleſcentes, in honore quoque fuit anatome, ſectaque publice morte punitorum cadavera, primuſque medicorum extitit Mundinus, qui de rebus a ſe in cadaveribus obſervatis librum conſcripſerit. Sunt haec quidem mediocria, & quaſi incunabula renaſcentis anatomes dixeris. Saeculo demum XVI. *quando mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum concentuſque eſſe coepit, plurimi ſic excoluerunt anatomen, ut omnia, quae erant jam inventa examinaverint confirmaverintque, alia correxerint, & multa nova detexerint. Tum etiam uti coeperunt anatomici tabulis pro litteris, ut totum illud, quod noſcebatur, facilius oculorum commendatione diſcipulorum animis traderetur. Ipſi Principes cum admirarentur iſtam ſcientiam propter utilitatem & praeſtantiam illius, magnam curam de eadem provehenda adhibuerunt; nec defuerunt etiam, qui in maximis imperii occupationibus aliquid temporis ipſi impertiverint. Quare minime eſt mirandum, ſi magnus anatomicorum numerus tum fuit, & quaelibet ferme cultioris Europae provincia propria ſua hac in facultate glorioſe jactet inventa. Ecce tibi*

in Britanniæ exoritur Guillelmus Harvaeus, qui ſanguinis circuitum primus omnium vel excogitavit, vel certiſſimis argumentis, quod nonnulli antea ſuſpicari viſi fuerant, comprobavit, quod inventum non eſt credibile quantum aliorum anatomicorum induſtriam excitaverit. Sic cum Warthonius corporis glandulas, Gliſſonius jecur, Lowerius cor & motum illius, Willis cerebrum & nervos examinandos ſuſcepiſſent, magna anatomiae incrementa attulerunt. Eadem laude floruit Gallia, quae ſemper extitit in omni praeclara arte Britanniae aemula; huic tamen plurimum conceſſit & numero & praeſtantia inventorum, cujus rei hanc cauſſam fuiſſe putat Senacus, quod plerumque Galli, quaſi quodam aeſtu ingenii abrepti haud patienter naturam inquirant, & ſyſtematum amore facile capiantur. Quantum anatome debeat Daniae ob inventa a Thoma Bartholinio vaſa lymphatica, quibus ignoratis, intelligi ullo modo non poterat univerſus humorum circuitus, nullus eſt qui neſciat. Nec ſuis modo van-Hornis, Swammerdamiis & Graafis aliiſque gloriatur Batavia, ſed merito etiam effertur, quod prima cavos canales corporis colorato liquore vel cera opplere docuerit, unde vaſorum minutiſſimae propagines, viſcerumque & glan-

dularum recondita ſtructura ſub oculos poni potuere. Quam artem quod in primis calluerit Ruyschius tantam celebritatem nominis conſecutus eſt, ut nemo ei par poneretur, & quaſi anatomiae parens ab omnibus praedicaretur. In his ut & in aliis ſtudiis non minus lucet Italia noſtra, ejuſque gloria quo ſtudioſius ab invidis ſcriptoribus, praeſertim Gallis, opprimitur & abſconditur, eo magis eminere & apparere videtur. Nec parum facit ad laudem illius, quod Veſalius, quem multi principem recentioris anatomiae dixere, hanc celebritatem praeſertim Italiae, ad quam, deſerta patria, ſtudiorum cauſſa venit, ſe debere confeſſus fuerit. Haec enim ab eo tempore, quo ſecari mortuorum cadavera libere permiſſum eſt, anatomicos quaſi majorum gentium procreavit, de quibus nunc non dicemus, cum propoſitum ſit de ſingulis ſeparatim ſcribere. Ordiar a Malpighio, qui eorum omnium dux & princeps eſſe videtur ob excellentiam doctrinae & judicii, & inventorum copiam. Nolo tamen ejus vita in lucem exeat quin prius ſubierit judicium tuum, in quo mihi aeque jucunda erit corrigentis ſeveritas, quam comprobantis auctoritas. Vale.

Piſis Kal. Jan. MDCCLXXIX.

MARCELLUS MALPIGHIUS.

MArcellus Malpighius honeſto genere natus eſt Crevalcorii in oppido Bononienſis ditionis ineunte Martio an. MDCXXVIII. Fuit hic quidem vir mirabili ac pene divina quadam ingenii facultate praeditus ad omnia naturae abſtruſiora myſteria indaganda atque deſcribenda. Is omnium primus non ſolum praecipua vitae organa in ſuas partes reſoluta & diviſa patefecit, ſed &, quod plurimi faciendum eſt, poſteros omnes ſuo exemplo docuit in omni naturali hiſtoria verum a ficto ſecernere. Hic ſimplicem atque unam, eamque perpetuis mechanices legibus obſtrictam methodum naturae in corporum viventium actionibus obeundis, innumeris experimentis detexit & explicavit, & notata a philoſophis de plantis, de humano corpore, omnique genere animalium, quae nihil commune habere videbantur, quaeque diſperſa ac vage disjecta erant, feliciſſime junxit, mutuamque ſibi lu-

lucem afferre oſtendit. Ad haec bona conſequenda vel a prima aetate praeparavit adjutoria ſingularis induſtriae, adeoque ardebat cupiditate diſcendi, ut amiſſis mature parentibus, hac una cogitatione orbitatis ſuae abſtergeret moleſtiam. Cum domicilium Bononiae ſibi conſtituiſſet propter ſummam & doctorum auctoritatem & urbis, applicuit ſe praeſertim ad Franciſcum Natalium, qui longe ceteris philoſophiae doctoribus tum excellere putabatur. Ex hujus autem, ut & aliorum ſcholis talis evaſit Malpighius, ut ad omnem reconditiorem ſcientiam adipiſcendam maxime natus aptuſque videretur. Nihilo tamen minus ceteris abdicatis, unam artem medicam ſibi excolere propoſuit, quod optimo ab eo factum conſilio, cum perquam raro accidat, ut qui in plura ſtudia animum intendit, in una aliqua arte perfectus evadat. Erant tum Bononiae plures ſapientes viri, qui ſordibus & ſqualore, in quibus jamdiu jacuerat medicina, liberandam ipſam ſuſceperant. Inter hos tamen eminebant Bartholomaeus Maſſarius rei anatomicae ſtudioſiſſimus, & Andreas Marianus, qui cum & res novas per ſe

quaereret, & aliorum inventa prudenter examinaret, unus videbatur poſſe in tantis tenebris clariſſimum lumen praeferre. Hos praeſertim magiſtros habere voluit Malpighius. A Mariani vero latere minime cum diſcederet, ab illo ſemper rationem poſcebat quare quidque diceret & faceret, & ſi quando gravioribus morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere cogeretur, omnia curioſius conquirebat diſcipulorum diligentiſſimus, & in adverſaria conjiciebat. Inveſtigabat etiam morborum ſedes in humanis cadaveribus, ad quae diſſecanda cum ducem & magiſtrum Maſſarium haberet, eam in hac facultate praeſtantiam brevi conſecutus eſt, ut cum experientiſſimis compararetur. A diſcipulo vero id exigebat Maſſarius, ut de obſervatis a ſeſe coram lectiſſimis viris, quos ſtatis diebus domi ſuae ad anatomica ſtudia excolenda congregabat, diſputaret, reſque ipſas ante oculos ſtatueret. Quae diſcendi ratio cum minus multis probaretur (ſaepe enim fit, ut ea ſolum homines honeſta, utilia, ac laude digna putent, quae a veteribus ſunt accepta, idque in diſciplinis praecipue, in quibus nihil tutum arbitrantur niſi

quod ab illis profectum eſt) non defuere qui non ſolum objurgatione, ſed etiam irriſione Malpighium inceſſerent, quod viam laudis, quam majores tritam reliquerunt, ipſe deſereret, & contemnere videretur. Quae contumelia non fregit eum, ſed erexit. Nam cum judicaſſet ſine ſumma induſtria non poſſe eam extingui, magis magiſque ſe dedidit medicis ſtudiis, diligentius praeceptoribus, famaeque ſerviens. Multum in noſocomiis verſabatur, frequentabat omnes litteratorum virorum coetus, res diu multumque cogitatas afferebat, facile easdem oratione explicabat. Neque minus in curandis aegrotis promptus, quod & de inſtantibus veriſſime judicabat, & de futuris callidiſſime conjiciebat. Quo factum eſt ut brevi tempore illuſtraretur. In hac celebritate nominis facile a Senatu Bononienſi obtinuit, ut publicus medicinae magiſter fieret, quadriennio poſtquam laurea ceteriſque doctrinae inſignibus decoratus fuerat. Hoc tamen beneficio diu ille uti noluit. Parendum enim exiſtimavit Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis voluntati, a quo honorificentiſſimis litteris, honeſtiſſimiſque conditionibus invitatus eſt ad tradendam theori-

cam medicinam in Academia Piſana. Hic ita vixit, ut omnibus merito eſſet cariſſimus, omneſque ſtudio ſuo incitaret. Cum vero penitus ſe immerſiſſet in Alphonſi Borellii conſuetudinem, multa ab homine, qui maximus omnium judicio aeſtimabatur, adjumenta habuit ad illas ſuas phyſicas & anatomicas exercitationes. Quin immo quidquid in libero philoſophandi genere profeciſſet, id totum illi ſe debere palam profitebatur. At ſi amorem ejus in multis rebus utilibus ſuſcipiendis perſpexit, fidem deſideravit, cum de ſe praedicari ac nominari voluiſſet Borellius, quando ſpiralis fibrarum humani cordis figura detecta eſt. Tota enim hujus inventi gloria Malpighio debetur, quanquam illius & teſtem & ſpectatorem Borellium fortuna conſtituit. Interea aſſiduis experimentis capiendis cum multa ſibi jam comperta eſſe videret, quae ſi palam fierent, medica ars mirifice illuſtraretur, ea de re dialogos vernaculo ſermone ſcripſit nonnullos. In his maxime expoſuit quae de ſanguinis natura obſervaverat, rationemque reddebat, quare ejus color mutetur, ſi cum eo diverſa corpora, ac praeſertim oleum vitrioli

miſceantur. Multas & magnas res afferebat de diſtillatione & concretione ſeri, de ſaliva, ceteriſque humoribus, quorum ope cibus mutatur & concoquitur. Ad haec exponebat quantae interdum utilitatis, quantique ſaepe detrimenti in acutis praeſertim morbis ſint purgationes, Galenicos irridens, qui hoc remedio omnes fere ſanari poſſe morbos putabant. Exemplo ſuo invitare omnes volebat Malpighius ad noſcendam miram corporis fabricam, naturamque earum rerum, quae prodeſſe & obeſſe poſſunt, conſulendamque illam omnium rerum magiſtram experientiam. Hi porro dialogi adeo probati ſunt Borellio, ut de illis edendis hortari non ceſſaret Malpighium. Sed cum hic rem procraſtinaret, incenſa neſcio quo caſu ejus domo, omnes magno litterariae Reipublicae damno perierunt. Dum ſemper aliquid inquirebat Malpighius quod ſpectaret ad rem anatomicam provehendam, manu ferme duxit Claudium Auberium in vera teſtium ſtructura detegenda; qua occaſione Auberius ipſe ductum, quem ab ejus inventore Highmorianum vocant, & vaſa, quae illi adhaerent, diligentius inveſtigavit & clarius

expoſuit. Hae res eo magis valuerunt ad gloriam Borellii, Malpighii ceterorumque, quos in ſtudiis phyſicis habebant adjutores & ſocios, quod ab iis occaſionem ſumpſerunt Medicei Principes eos inſtituendi litteratorum virorum coetus a quibus tantopere naturae ſcientia provecta eſt. Quanquam videret Malpighius in ſtudiis ſuis gratiae plurimum & gloriae eſſe, iis imperantibus Principibus, qui in philoſophiae ſinu educati eſſe videbantur, conſilium tamen cepit deſerendi Academiam Piſanam, aeris inſalubritatem cauſſatus. Accidit id an. MDCLIX. triennio ſcilicet poſtquam ad illam venerat. Cum itaque Bononiam ad ſuum priſtinum munus rediiſſet incoſtantiae labem ſingulari diligentia ſtuduit eluere. Ibi multos habebat cum amicitia, tum ſtudiis exercitationibuſque conjunctos, e quibus praeſertim dilexit Silveſtrum Bonfiliolium, & Carolum Fracaſſatium. Erant qui haec ipſa ſtudia exagitarent, quorum ineptias & ſtultitias non ferebat, iracundiuſque reſpuebat, ſive moroſe, ut putabatur, ſive ingenuo liberoque faſtidio. Non propterea tamen ejus tardabatur induſtria, gaudebatque ſibi adeo fortunam

propitiam eſſe, ut aliquid ſemper novi detegeret. Cum an. MDCLX. ſanguinis motum & praecordiorum fabricam diligentius inquireret, factum eſt ut de pulmonibus, microſcopii praeſertim ope, ea obſervaret, quae omnium anatomicorum oculos antea fugerant. Vidit itaque rotundas veſiculas, ex quibus pulmones conſtant, formari ramis bronchiorum in ampullas dilatatis (1): vidit etiam arteriam pulmoneam reticulum efficere, ſuiſque ramis ceu annulis, veſiculas complecti, eoque in loco per anaſtomoſin, ut loquuntur, cum venis conjungi. Cum obſervaſſet rete, quod totum eſt ex fibris muſcularibus, circumdari pulmones ranarum, eamdemque rem ſibi videre viſus eſſet in agnis, non dubitavit quin idem eveniret in hominibus. Hoc tamen fibrarum implexu non hominum modo, verum etiam omnium animalium, quae calida dicere ſolemus, pulmones carere affirmat Hallerius. Dubitare etiam videtur de ranis, quam-

(1) Admonendos Lectores putamus magni nominis Anatomicos eſſe, qui diſſentiunt a Malpighio in eo quod pertinet ad figuram hujuſmodi veſicularum. Vid. Barth: *Cent.* *IV. ep.* 55. Cowper. *Tab. XXV. fig.* 6. Haller. *phyſ. lib. VIII.* §. 29.

vis Morgagnii affirmatio acceſſerit (1) propterea quod pulmones quadrupedum illa ſua *irritabilitate* ſpoliatos eſſe obſervavit. Non eſfugere acutos Malpighii viſus tum extrema arteriarum in ſuos minimos ramos diviſarum; tum cellularis tela, quae pulmonis lobos jungit, & quod medium inter eos eſt replet. In hac ipſa tela ſedem idatides habere is affirmavit. Explicata pulmonis fabrica, ſuam quamdam protulit hypotheſin de ſanguinis generatione, hanc ab alterno motu vaſorum pulmonis, quibus chylus premitur, repetens, qua in re exemplo branchiarum piſcium opportune utitur. Nihil vero ſimilius vel ex recentiorum phyſiologorum ſententia, proferri ſane poterat, quanquam Malpighius ipſe quaedam ſe habere poſtea dixerit, quae huic opinioni ſuae adderet. Suſpicatus enim eſt aliquid etiam fermentationi hac in re eſſe tribuendum. Magnam his inventis gloriam conſecutus eſt Malpighius, neque eam multorum obtrectatio devincere potuit. Fuerunt nonnulli, & in his Fracaſſatius, qui ſuas cum Malpighii obſervationibus minime conſentire dice-

(1) Adv. Anat. V. animad. 29.

rent; alii, quibus mos ſemper fuit praeſentia invidia, praeterita veneratione proſequi, quod his ſe inſtrui, illis obrui crederent, inconſultius res ipſas rejecerunt; alii demum malignitate & procacitate intolleranda, aut quod cognitum habebant, negabant, aut ſurripuiſſe Malpighium a Cornelio ab Hogelande quae pro ſuis venditabat, affirmabant. Pluribus rem ipſam narrat Malpighius, & quamvis ex anteacta vita omnes de ſe judicium facere poſſent, ſuae tamen gloriae propugnator eſſe voluit. Scripſit etiam hac de re plures ad Borellium epiſtolas, qui magnopere auctor fuit, ne diferret typis committere quae pro ſui defenſione ſcripto mandaverat. Sed, quod miseris, ille teſtis & laudator inventorum Malpighii, mutata ſubito voluntate, in eumdem calamum ſumpſit (1), quae quidem inconſtantia ex multis exarſit vitiis, & praeſertim ex invidia, quae illum lacerare ſolebat. Praeter quam quod nemo ignorat, quam natura is eſſet propenſus ad amicitias diſſuendas. Sed haec antequam acciderent, magnum inter eos erat commercium medicarum atque anatomicarum

(1) De motu Animalium lib. II.

obſervationum, & jure laudantur, quae ſpectant ad contagioſas febres, quae in toto agro Piſano manarunt latius cum magna hominum internecione. Inter cetera admonet Malpighius quam caute & prudenter purgationes adhiberi debeant in acutis morbis, ex quibus aliiſque facile intelligi poteſt quantus uſus ad illius ſummam prudentiam in medicina facienda acceſſiſſet. Interea Meſſanae demoritur Petrus Caſtellus, qui in illa Academia medicinam profitebatur. Cum de ſucceſſore eligendo ageretur, factum eſt commendatione Borellii, ut Malpighius in illius locum ſuccederet, annuo M. centuſſium ſtipendio illi aſſignato. Dumque iter Neapoli faceret cum Thoma Cornelio ac Lionardo a Capua viris litteratiſſimis, ac in omni re phyſica exercitatiſſimis amicitiam iniit, quam vel abſens ſemper coluit diligentiſſime. Meſſanam menſe Octobri pervenit an. MDCLXII. ibique humaniſſime exceptus a Jacobo Ruffo Francavillae Vice-comite, quocum familiariter Piſis vixerat, quod magno ſtudio is deditus philoſophiae eſſet. Eo vero auctore, non tam docere, quam facere medicinam aggreſſus eſt,

ſit tamen ut non intermiteret conſuetudinem pristinam aliquid ſemper novi in naturali philoſophia inquirendi. Et jam quaſi voto quodam & promiſſo ad hanc rem ſe teneri putabat, cum in omni ſermone, & in ipſa, quam ad Meſſanenſes, quo die primum ingreſſus eſt ad dicendum, habuit oratione, declaraverit [redacted] his ſtudiis egeret medicina, poſtquam omni errore ab Arabis & Barbaris inquinata, deformata, ac pene everſa fuerit. Ipſe locus, in quo dicebat, occaſionem Malpighio dedit oſtendendi, quam veteres Siculi, ac Graeci omnes optime de medicina meriti fuerint, quo magis illa depravatio ac deformitas appareret, auditoreſque ad majorum exemplum imitandum excitarentur. Ruſticabatur ipſe non longe ab urbe apud Ruſſum, cum in caſtaneae fruſtulo ductus aeris, ſeu, ut vocant, tracheas deprehendit. Repetitis experimentis, affirmare ſe poſſe putavit, illos ductus omnibus ineſſe plantis, & non ſolum aeri, ſed etiam humori, quo ipſae plantae aluntur ferendo idoneos eſſe. Ipſa loci opportunitate admonitus multum impendebat temporis ſecandis piſcibus. In omenti ſtructuram intendit primum o-

culos, omniumque primus deſcripſit ovatas & caecas ampullas, quae cum extremo arteriarum conjunguntur, a quibus in ipſas ampullas pinguitudo, & oleum animale tranſit. Illas globatas, & reticulatis vaſibus praeditas eſſe ait, quae agnita forma a recentioribus quoque anatomicis fuit. Suſpicatus eſt ſeparari animale oleum per proprios adipatos ductus, eam ob cauſſam quod in hiſtricis omento adipatas ſtrias (comitantur hae rubra vaſa) & quaſdam lineas globulis adipatis, qui varii ſunt pro variis ſtriis, turgeſcentes vidit. Cupiebat aliquid odorari diligentius, & certius comprobare, ſed multum licet laboris hanc in rem inſumpſerit, eam tamen nonniſi conjectura, a qua non ſatis veritatem illuſtrari dicebat, ſe perſpexiſſe ingenue confeſſus eſt. Cui ingenuitati maximas ſane laudes impertivere ſummi viri Morgagnius & Hallerius, quamvis tota ſententia a Malpighio diſſenſerint. Vidit hic in ſanguine oleoſas particulas, ex quibus fit pinguitudo, neque hoc modo, ſed & varios uſus olei animalis expoſuit, quod pro explorato habebat ab incerto diſtinguens, cum nihil indignius philoſopho putaret quam

incerta pro certis venditare. Cum totus eſſet in tynni & gladii oculis obſervandis, multa nova deprehendit de motoribus muſculis, de figura & fabrica humorum, de membranis, vaſiſque, a quibus eae circumdantur. Praeter id branchiarum ſtructuram indagavit, obſervataſque a ſe diligentiſſime in gladio piloricas, [redacted]t, appendices nil aliud eſſe vidit niſi ingentem ſtruem parvulorum inteſtinorum, quae repleta ſunt liquore quodam a magna glandularum copia expreſſo. Hunc liquorem digerendis cibis idoneum, & vices pancreatis, quo plerique piſcium carent, agere putat. Deſcriptionem quam fecit cryſtallinae lentis, & anſarum, quibus utrinque ſuſtentatur (ſunt enim hae loco proceſſuum, ut vocant, ciliarium, quibus omnes piſces carent) magno exceperunt plauſu rei anatomicae ſtudioſi; & miror equidem Hallerium hujus inventi gloriam Peireſchio unice tribuiſſe. Quoniam res una aliam ſaepe ſecum trahit, Malpighio piſcium cerebrum contemplanti feliciter accidit, ut de medullari ſubſtantia, quam in omnium animalium cerebro ineſſe ait, ea proferret, quae innumeris poſtea experimen-

tis recentiores confirmarunt anatomici. Rationem quoque docuit coquendi cerebrum ad clarius diſtinguendas medullares fibras, & faſciculos, in quos ipſae fibrae colligantur. Tota vero erraſſe via dicendus eſt Malpighius, quod ſuccum nerveum ſe vidiſſe putaverit, in cujus uſu explicando, cauſſiſque morborum, qui ab eo pendere arbitratus eſt, indicandis levi conjectura rem ponderaſſe videtur. Nec a veritate ille minus deflexit, cum cerebri corticem ex glandulosa materia conſtare ſibi perſuaſerit. In tynno & gladio dum nervi optici fabricam attentius inveſtigaret, magna cum admiratione comperit, illum non ex faſciculo funiculorum, ſicuti ceteros nervos omnes componi, ſed totum eſſe ex lata faſcia, quam cerebri medulla effecit. Illa autem pia matre tegitur, & in ſua membra plicatur, atque a dura matre undique circumdatur. Non idem reperit ceteris in piſcibus, ex quo conjicere ſe poſſe putavit, quodammodo naturam indiguiſſe hac varietate ad replendum magnum illud cavum, quod in hujuſmodi piſcium oculis fecit. Haec ut in vulgus ſparſa fuerunt, defenſores & oppugnatores habue-

runt. Fracaſſatius & Borellius ex illorum numero fuere, contra maxime obnitentibus Fuchio, qui Piſis anatomen profitebatur, & Tilemano, quo is ſectore utebatur. Multa deinde, a Malpighio de torpedine, in qua praeſertim vaſa quaedam mucoſo alboque humore plena, quae oriuntur a racemo glandularum in interiori cerebri parte locato, indagavit. Poſitum etiam excretoriorum vaſorum, quae ſunt extra cerebrum, indicavit, ſicque magis magiſque eam anatomiae partem illuſtravit, quae ſpectat ad vaſa, e quibus ſudor aliique humores emanant. Poſt haec rerum naturalium ſtudio paulliſper intermiſſo, non autem omnino ſepoſito, opus magnum omnino aggreditur, quo univerſam anatomiae diſciplinam vernaculo ſermone complecti volebat. Adjuvandos enim diſcipulos ſuos putabat earum rerum explicatione, quae ſe uſus & continua ſcriptorum lectio docuerat, ut ſe duce venirent eo, quo ſine duce ipſe pervenerat, quoniam meliora tradere non poterat. Initium operis a corde fecit, ut ad alias deinde partes, quae ab eo pendent, progrederetur; ac ſingularum ſingillatim naturam

ex Italorum primum, qui plurimum hoc in genere valuerunt, ſententiis, tum deinceps ex omnium exterorum doctrina quam accuratiſſime exequeretur. Cum partem illam abſolviſſet, quae eſt de viſceribus a thorace contentis, hanc Borellio & Fracaſſatio miſit illorum judicium exquirens. Ii quidem ſingularem Auctoris induſtriam magnopere laudarunt. Nihilo tamen minus ipſum hortati ſunt, ut ab incepto deſiſteret, & quod res erat laboris prope immenſi, & quod facile erat incurrere in odium offenſionemque multorum, cum judicium de alienis ſcriptis eſſet ferendum; & quod glorioſius Malpighio putarent ipſum novam, ut ita dicam, ſcientiam creare & gignere, quam aliorum inventa ſcrutari. Subjicitur etiam a Borellio Ruffus, qui hanc rem diſtrahat, & reliqua, quae agere Malpighius inſtituerat, impediat. Cum tantorum virorum judicio conſueſſet Malpighius permittere omnia, quod ii juſſerunt fecit, & ad priſtinas occupationes rediit. Igitur, quod jamdudum conſtituerat, linguam primum tentandam ſuſcepit, multiſque in ea obſervanda perſpectis, de his Fracaſſatius & Bellinius per Borellium certio-

tiores facti ſunt. Qua arrepta occaſione, ii quoque in eamdem rem inquiſierunt, deque ea libellos ediderunt. Nemo tamen eſt, qui non facile Malpighio gloriam concedat, quod primus obſervaverit papillas, unde tactum & guſtatum habemus, neque has modo, ſed & fibras, quae ita varie ſunt diſpoſitae, ut per eas facile lingua in quamcumque partem moveatur. Tria in genera pro varia earum figura linguae papillas diſtinxit: has omnes nervis praeditas eſſe ait, ac tranſire per reticulum vel membranam adeo perforatam, ut tot foramina quot papillas numerare poſſis; demum eaſdem epidermide ſic contegi, ut ſingulae in ea ſuas habeant vaginas. Verum recentiores anatomici nos docent neque has vaginas, neque perforatum reticulum in hominis lingua reperiri, & idcirco, correctione quadam adhibita, ſententiam Malpighii, qui ſuas obſervationes in vituli lingua inſtituit, retinendam. Eodem tempore, quo is in inquirendo uſu papillarum linguae elaborabat, aliarum papillarum inquiſitor eſſe voluit; qua in re favit illi fortuna, cum eas in cute, in manibus, in toto externo corpo-

re inveniſſet. Has quoque nervoſis filis muniri animarique conjecit, quod multo poſtea a Kaw-Boerhaavio apertiſſime comprobatum eſt. Tum in brutis, tum in homine earum figuram magnitudinemque notavit Malpighius, quodque ipſis ea maxime abundare membra animadvertit, in quibus tactus eſt vividior, hoc argumento in primis confirmari putavit; quod de tactus inſtrumento protulerat. Texturam quoque cutis, & quomodo pili ac pennae ei inſerantur, & vaſa illa, quorum uſus eſt in perſpiratione & in ſudore, expoſuit in epiſtola, quae eſt ad Jacobum Ruffum. Voluit etiam ab eo invitatus rationem reddere nigritudinis Aethiopum, cujus ſedem eſſe arbitratus eſt in reticulo, ſeu mucoſa ſubſtantia, quae epidermidi ſubjicitur, quaeque ab ejus inventore Malpighiana appellatur. Illud vero quod tum a Malpighio, tum a Stenone affirmatum eſt de glandulis ſudatoriis, & de valvulis, quas unice deſtinatas rebantur ad claudendos aperiendoſque excretorios ductus earumdem glandularum, multis nunc rationibus & experimentis, ſicuti alibi quoque docuimus (1) re-

(1) Pag. 17.

ſutatum eſt. In hujuſmodi rebus inquirendis exponendiſque cum totus eſſet Malpighius, habuit & bene longam & ſatis litigioſam diſputationem cum Michaele Liparo, quae non mediocriter ipſum a ſtudiis ſuis avocavit. Mos erat Meſſanae, ut quo tempore a Senatu Magiſtratus, quorum poteſtas eſſet annua, crearentur, urbis etiam Archiatrus eligeretur, quod ſane munus quamvis illi plerumque ex medicis deferri ſoleret, qui magnam ſui concitaſſet expectationem, exigebatur tamen ab eo, qui illud poſtulabat, ut doctrinae atque ingenii ſpecimen publice diſputando ederet. Unus eminebat inter competitores Liparus, pertinaciter Neotericis omnibus infenſus, a quibus quo ſtudioſius Galenicorum ſapientia opprimebatur & abſcondebatur, eo magis illam elucere atque apparere dicebat. In certamen itaque vocavit Malpighium, & qui ſtudiorum ſocietate erat ei conjunctiſſimus, Catalanium, illudens praeſtantiora recentium phyſicorum inventa, & praeſertim ſanguinis circuitum. Malpighius certe ſtatuerat non adeſſe, quod nec dignitatis, nec famae ſuae putaret eſſe hujuſmodi implicari diſputationibus: ſi amice

& privatim ſecum contendere Liparus vellet haud ſe detrectaturum certamen. Erat tum Meſſanae Franciſcus Maria Giangrandius florenti aetate, & acuto ingenio medicus, qui competitricem ſcenam cum Liparo habere cupiebat. Rogat itaque Malpighium, ut ſibi qua conſilio, qua opera auxilium ferat. Annuit Malpighius, excerptiſque theſibus quibuſdam ex anatomia & phyſiologia, in quibus illuſtriora Neotericorum inventa continebantur, ei ſe ducem in illis memoria, & ſcientia etiam comprehendendis fore ſpopondit. Recuſavit tamen in illa diſputatione adeſſe, non tam ut ſibi, quam ut Catalanio rem gratam faceret, qui vehementer optabat, additis quibuſdam de ſuo in illas theſes, ſe omnium conſiliorum auctorem & praeceptorem judicari. Hujus rei fama, ipſaeque theſes brevi per univerſam Siciliam & Calabriam pervulgatae ſunt. Quo facto cum Liparus vehementer commotus eſſet, librum ſtatim Latino ſermone vulgavit, qui *Galeniſtarum triumphus* erat inſcriptus, quo non magis in recentiorum medicorum ſententias, quam in Catalanium & Malpighium ipſos acerbius & contumelioſius invehebatur.

Indignas reſponſione, & plane contemnendas haſce injurias eſſe putavit Malpighius, & quod hujuſmodi homines coercendi magis quam dedocendi eſſe videantur, & quod ille pro ingenii ſui lenitate valde ab omni contentionum genere ſemper abhorruit. Nihilo tamen minus ceſſit Alberti Tuccari aliorumque conſiliis, qui ab eo, tanquam a tutore, non modo poſtulabant, ſed etiam exigebant recentioris medicinae defenſionem. Librum itaque hac de re ſcripſit gravem ſane & doctum, nomine Placidi de Papadopolis, qui ſui & Catalanii olim auditor fuerat, ſuppoſito. Plurimum is quidem liber apud eruditos celebratus eſt; nunquam tamen adduci potuit Malpighius ut ipſum typis committeret, quanquam a Borellio, Fracaſſatio aliiſque quamplurimis, id ut faceret, rogabatur aſſidue. Neque vero his rebus multi tam amici Malpighio ſunt facti, quam a Liparo alienati. Ipſe Senatus Meſſanenſis cum acerrimi viri praeſtantem prudentiam in omni re phyſica cognoſceret atque admiraretur, pertimuit ne caritate patriae & taedio contentionum, ad quas compellebatur, motus Malpighius aliquando ab ipſis diſcederet.

Itaque omni officiorum genere ipſum ſibi magis magiſque devincire ſtuduit. Non tamen ab ipſo impetrari potuit, quominus expleto magiſterii ſui curriculo (id ad quadriennium erat) ad ſuos rediret, illud pollicitus, cum primum per domeſtica negotia licuiſſet, ſe Meſſanam rediturum. Non tamen quod promiſerat praeſtitit, quamvis novis a Meſſanenſi Senatu invitaretur beneficiis. Etenim cum videret ſe res domeſticas & familiares poſſe & melius tueri & lautius, ſi Bononiae conſiſteret, & in ſummo apud Bononienſes honore eſſe, quas excolebat, facultates, ſtatuit ab iis non diſcedere. Placuit ei vero nec priſtinum docendi munus deponere, nec recuſare cuiquam operam ſuam in medicina facienda: & ſi occupatus proderat civibus ſuis, iis etiam prodeſſe ſtudebat otioſus. Otii fructus fuere quae *de viſcerum ſtructura*, *de cordis polypo*, & *de cerebri cortice* in vulgus ann. MDCLXVI. edidit. Negligentius quidem ſuperiores anatomici verſati fuerant in inquiſitione tum viſcerum materiae, quam carneam putabant, & parenchimatis nomine deſignabant, tum illorum fabricae. Gliſſonius pauca quaedam haud impro-

handa de jecoris natura protulerat; ſed haec tanti non erant, quin merito in ſpem venerit Malpighius ſe quoque poſſe novi aliquid invenire. Cum itaque plurimorum animalium, quae perfecta & imperfecta dicebat, jecur ſpoliaſſet ſua externa membrana, hoc totum conſtare animadvertit ex lobulis, qui in corpuſcula vinaceos acinos imitantia deſinebant. Hos ipſos acinos vero cum vaſis, quae ferendo & referendo ſanguini ſunt deſtinata, interjectos eſſe vidiſſet, concludere ſe poſſe putavit nil aliud eſſe jecur niſi conglomeratam glandulam. Neque uno, ſed pluribus argumentis utebatur, ut probaret cavos eſſe acinos illos, atque humori, qui ſeparatur, retinendo idoneos. Ducebat illa ex aliarum glandularum analogia, ex obſervatis a ſeſe microſcopii ope in inſectorum jecore, quod totum ex ſtrue cavorum ſacculorum compoſitum apparebat, ac demum ex hepatariis morbis, in quibus cernere licet viſceris illius acinos aut aqua repletos, aut gypſea quadam materia, aliiſque ſimilibus rebus. Felicius poſtea Ruyſchius eamdem rem quaeſivit, adhibitiſque miris illis ſuis, ut vocant, injectionibus, o-

ſtendere potuit Malpighianos acinos minime cavos eſſe, cum ex glomeribus vaſorum ipſi componantur. De reliquo quod ad glandulas conglobatas conglomerataſque attinet, quae tum in jecore, tum in aliis viſceribus ineſſe Malpighius monſtravit, hujus opinioni ſtandum ipſe ceterique putarunt. Attentiſſime etiam conſideravit Malpighius bilis curſum, ejuſque ductus, & quomodo haec ſeparetur, & excernatur explicavit. Debitas tribuit laudes Bartholinio, quod haud ignoraverit eſſe in hepate lymphatica vaſa, & glandulas conglobatas, ſed negat ullum eſſe commercium inter excretorios bilis ductus, & lymphatica vaſa, & quidquam habere commune conglobatas glandulas cum conglomeratis, ex quibus jecur conſtare putat. Eadem ferme protulit de cerebri cortice, cum hunc quoque ex parvulis glandulis conflari crederet, quae ſimul junctae glandulam conglomeratam efficerent. Hujus vero vaſa excretoria in fibris medullaris ſubſtantiae ineſſe arbitrabatur, quibus de rebus, ut inter homines peritos nunc conſtare video, Malpighio haud aſſentiendum eſt. Renum fabricam tum in foetis, tum in multis

brutis animalibus, ac praeſertim in avibus diligentiſſime inquiſivit, cum multa tradi de iis aut dubia & incerta, aut falſa & certe obſcura ab anatomicis intelligeret. Docuit ergo illos ex multis lobulis conſtare, hoſque veluti totidem glandulas ſeparandae urinae a natura deſtinatos fuiſſe: injectionis vero ope cum ductus excretorios uniuſcujuſque lobuli ſe vidiſſe putaret, hoc argumento maxime confirmari judicavit ipſos aut glandulas eſſe, aut partes glandularum agere. Extitit Peyerus, qui ſe huic ſententiae opponeret, nil aliud eſſe hujuſmodi lobulos pugnaciſſime contendens quam glomera vaſorum in papillas deſinentia. Quapropter Malpighius & id quod intendebat novis comprobandum argumentis, & id quod contra dicebatur refellendum ſuſcepit. Hinc vero occaſionem ſumpſit examinandi lienis, quem etiam ſuis cavis acinis minime deſtitui credidit. Cum obſervationes ſuas in liene bubulo inſtituiſſet, hunc, non ſicuti humanum, unica, ſed duplici membrana contectum eſſe comperit. In humano quoque multa lymphatica vaſa in ſuperficie extantia obſervavit. In iis quae de fibris, vel lacertis mu-

ſcularibus tradidit, ſolent recentiores anatomici a Malpighio diſſentire, quamvis ipſe plurimum hoc invento gloriari videretur. Lienis uſum dum inquirit, hepati hunc famulari ex vero judicavit: minus tamen vere, qua ratione id fiat, explicare videtur. Exprimi enim putavit ab illius glandulis ſuccum quemdam, qui ipſi ſanguini commixtus viam quodammodo huic ſeparationi aperiat. Ceterum nunquam ſatis laudari poteſt ſingularis Malpighii diligentia, qui microſcopii, injectionum, & macerationis ope adeo multa in animalium viſceribus quaeſivit feliciterque invenit, quae quidem non tam a ſuperioribus anatomicis ignorabantur, quam multis erant circumvallata erroribus, quo difficilius inde verum emergeret. Quia vero non erat ignarus multos ſtudioſe contra ſe eſſe dicturos, quod vitare nullo modo potuiſſet, niſi nihil omnino ſcripſiſſet, multa anteoccupavit, quae oppoſitum ſibi arbitratus eſt ſuis inventis, multoſque invitavit ad illa novis experimentis confirmanda. Quorum teſtimonia ſane honorifica retulit in commentariolum vitae, quam de ſe ipſo ſcripſit. Quod autem haud paucis in rebus

diſſentire a Malpighio viſus eſt Jo. Baptiſta Blanchius, illius defenſionem ſuſcepit Morgagnius, & ſententiam de glandularum acinis, ſeu folliculis, ſeu globulis diſertiſſime expoſuit (1). Poſtquam illa, quae diximus, de viſcerum fabrica explicaſſet Malpighius, de cordis polypis agendum ſuſcepit. Hi in dextro praeſertim cordis ventriculo gigni putat ex nimia acoris copia, aliiſque cauſſis, quibus ſanguis libere fluere impeditur. Implicantur enim ſanguinis ipſius fibrae: implicatae vero ſenſim ſolidum efficiunt corpus, quod vel interſtitiis lacertorum, quibus interiores cordis & auricularum parietes contexuntur, adhaeret, vel in medio ventriculi cavo locatur. Multis & praeſertim Kirckringio viſum eſt hanc fieri concretionem non poſſe, ipſo praeſertim vigente ſanguinis motu, & idcirco hominis vitam finem habere neceſſe eſſe eodem momento, quo polypus gigni incipit. Sed Malpighius affuſo ſulphuris, vitrioli & aluminis acore, qua ratione in modum polypi concreſcat ſanguis oſtendit: probavit etiam certiſſimis argumentis, generato polypo, poſſe diu hominem vivere, &

(1) In epiſt. Anat. epiſt. alt. p. 237. edit. Lugd. Bat.

tamdiu durare vitam, donec ex aucta polypi magnitudine viae, per quas ſanguis tranſit, omnino obſtruantur. Ceterum tantum aberat, ut ſcribi contra ſe Malpighius nollet, ut id etiam maxime optaret; & profecto tanto in honore nunquam philoſophia fuiſſet, niſi doctiſſimorum contentionibus diſſenſionibuſque viguiſſet. Quamobrem hortabatur omnes, qui facere id poterant, ut hujus quoque generis laude florere Bononiam vellent. Profecto plurimi ejus voce & exemplo excitati ad haec ſtudia confluxerunt, a quibus etiam non mediocria habuit auxilia, cum quiſquam in ea, quae propoſuerat, conaretur invadere. Curavit etiam ut ſibi non epiſtolarum modo, ſed etiam anatomicarum obſervationum commercium eſſet cum Sylvio, Williſio, Bartholinio, Stenone aliiſque, qui ceteros phyſica ſcientia antecellere tum putabantur. Quibus non commendantibus modo, ſed pene etiam invitantibus, unde concretae, & quomodo factae ſint glandulae conglobatae accuratius inquirendum ſuſcepit. In illas ipſas glandulas cum atramentum per arterias injeciſſet, non augeri glandularum corpus, ſed ſolum repleri

ſanguinea vaſa vidit, quo capto experimento, miror equidem ipſum non revocaſſe in dubium, eſſent ne revera folliculi in glandulis, iiſque coagmentarentur. Sed ſaepe fit, ut quod opinione tenemus, tanquam infixum in natura arbitremur, comprehendique ſuis cujuſque poſſe ſenſibus ſic, ut contra ſi quis dicere velit, non audiatur. Similibus experimentis fabricam praegnantis uteri tum in vaccis, tum in aliis animalibus Malpighius indagavit, in quibus lymphatica vaſa, naturamque humoris, qui ab his continetur, primus omnium inſpexit. Eadem poſtea obſervarunt in humano utero Meryus, Morgagnius, Winslowius aliique, quo facto magnum ſane addidere pondus inventis Malpighii. Examinavit hic ova, ovorumque ſedem, ſed verecunde ingenueque faſſus eſt, ſe haud detegere potuiſſe illorum ſtructuram; nec multum haec licet quaeſiverit, noviſſe originem & vias, per quas tubarum vaſa tranſeunt. Multa tamen in lucem protulit de iiſdem vaſis, quae erant occultiſſima, ut & de tubis perforatis, quarum extrema carneis fibris praedita eſſe vidit, de fontibus muci, quos in praegnantis vaccae

utero quaeſivit, & de venoſis demum ſinubus uteri, totaque interiori ejuſdem ſubſtantia. Ex acervo enim lacertorum illum eſſe putavit, quod indicare ſibi videbantur muſculares fibrae ſic implexae, ut retis figuram imitentur. Cui opinioni fidem auctoritatemque adjunxit quidem multorum anatomicorum, & praeſertim Morgagnii confirmatio. Viam a veſica ad allantoidem directam eſſe in quadrupedibus comperit; cotyledonum minima vaſa, chorii globulos a glandulis diſtinctos obſervavit; ac demum in ovis amnio fiſtuloſas quaſdam appendices detexit, quas fruſtra in homine quaeſiveris. Haec brevi non in Italiam modo, ſed & in Bataviam & Britanniam pervulgata fuere. Sponii, Stenonis & Graafii opera, quibuſcum eadem Malpighius communicaverat. Cum ſibi propoſuiſſet Malpighius non una aliqua in re, quae ad animalium fabricam pertineret, ſeparatim elaborare, ſed omnia, quaecunque poſſet, ſcientiae perveſtigatione comprehendere, a viſcerum contemplatione ad oſſa tranſiit. De quibus ea protulit, ut ſummus vir Hallerius quidquam adhuc ſe non inveniſſe firmius affirmare non du-

bitaverit. Quin immo cum adverſus Hamelium, defendendum ſuſcepiſſet quod docuerat jam Malpighius, oſſa videlicet gigni a coagulato induratoque ſucco quodam, in ſuis capiendis experimentis eamdem viam viſus eſt ſequi voluiſſe, quam tenuerat Malpighius. Porro hic, cum obſervare inſtituiſſet tum brutorum animalium, tum hominum foetus, in iis filamenta & fibras, ut vocant, longitudinales, quae in modum retis diſponuntur, inſpexit. Succum oſſeum omnino idoneum eſſe comperit replendis filamentorum intervallis, ipſiſque oſſibus coagmentandis, quod exemplo quoque cranii piſcium comprobavit. Quas partes habeant ſanguinea vaſa in hujuſmodi coagmentatione incipienda, quas ſquamae vel laminae in eadem abſolvenda oſtendit. Poſtquam vero multis certiſſimisque argumentis ex oſſium praeſertim, quae iterum coaluere, fractura ductis probaſſet, eſſe revera ſuccum oſſeum, unde ille naſcatur, quomodo a vaſis erumpat, ſuumque opus efficiat pluribus expoſuit. Qui fieri poſſit ut quaedam corporis partes, haud immutata propria illarum figura, oſſeae evadant,

& quomodo oſſa ipſa in lapides convertantur, docet; qua occaſione multa ſane curioſa ab illo & ab aliis animadverſa, quae naturalem hiſtoriam haud parum illuſtrant, narrantur. Atque hoc loco illud non queo praeterire, quod quamvis ab Hallerio, aliiſque diligentiſſimis hominibus ſagaciter perveſtigatum ſit, ineſſent ne ſanguini, ut putabat Malpighius, ſucci oſſei elementa, nullus tamen eorum inventus eſt, qui eidem hac in re minime ſit aſſenſus. De dentium natura ea quoque expoſuit Malpighius, quae omnium nunc confirmantur anatomicorum conſenſu, adeo ut vere mihi videar hoc eſſe dicturus, in nulla pene re inquirenda ipſum elaboraſſe quin, quod voluerit, ſit conſecutus. Cum videret vero ſic inter ſe jungi copularique poſſe naturalem hiſtoriam, medicinam, & anatomen, ut magna ſibi viciſſim eae facultates ſuppeditare potuiſſent adjumenta, hac in re quoque hominibus ille prodeſſe voluit. Et ſane tantum illis ipſis facultatibus ſibi nomen comparavit, ut id admirari praeſertim debeant, qui nolunt eumdem pluribus rebus excellere poſse. Quod ad naturalem hiſtoriam pertinet,

ſtiet, vix credibile eſt quot falſis & menda-
cibus opinionibus atque dictis omnia referta
eſsent, ut non immerito quibuſdam viſum,
nihil certum ſciri, nihil plane cognoſci & per-
cipi poſse. Quapropter nobiliſſima ſcientia,
quae latiſſime patet, ab homine acuto, &
natura uſuque callido, qualis certe erat Mal-
pighius, expectabat, vel potius exigebat, ut
aliquando ad lucem adſpiciendam per eum
vocaretur. Qua in re perficienda non ipſe
quaeſivit quid ceteri cogitarent, ſentirent,
opinarentur, ut mos erat omnium philoſo-
phorum, ſed ſagaciter perveſtigavit, quid in
ipſis rebus, quas noſcere volebat, continere-
tur, quarum vim & naturam non ratio, ſed
experientia explicat. Atque ex multis anima-
lium generibus bombycem praeſertim obſer-
vationibus ſuis dignum putavit Malpighius
non tam propter utilitatem difficultatemque
rei, quam quod de eo vix tolerabilia prodi-
ta litteris fuerant. Per plures menſes aſſidue,
incredibilique prope labore eamdem rem per-
ſecutus eſt, ex quo factum ut febri & ocu-
lorum morbo tentaretur. Levia tamen haec
putavit philoſophus homo prae gaudio, quo

cumulatus eſt ob inventionem rerum occultiſſimarum. Quae forma bombycis externa eſſet, quae fierent in omni aetate mutationes, quique omnium minimarum partium uſus eſſet, primum expoſuit. Poſt id illa interiora ſcrutatus eſt. Mirari licuit tracheae truncos, a quibus rami, arteriarum inſtar, in ſingulas corporis partes, quod eſt ad vitam & ad motum neceſſarium, propagantur: interdum etiam in oblongos & ſubrotundos ſacculos laxantur, ſpecie & forma pulmonum. Ambit tracheas zona quaedam argentei coloris in ſpiram collecta, quae patentem efficit tubulum. Zonae conſtant ex lamellis ita diſpoſitis, ut non ſecus ac piſcium ſquamae, compreſſo & dilatato tubulo, ipſae contrahi ac protrahi poſſint. Eaedem a lateribus oriuntur, ita ut ſinguli annuli geminum habeant trachearum truncum atque hiatum, quod aliis etiam inſectis commune eſt. Cor continuum tubum a capite ad extrema uſque corporis ductum eſſe ait, niſi mavis dicere eſſe in bombyce ordinem ſeriemque cordium, ut haec annulorum numerum aequent. Eo in tubo cernere licet tracheae ramos hinc illinc ſparſos, adhaeren-

temque mucoſam materiem, quam ſatis probabiliter omentum appellaveris. Eoſdem ramos eſſe quoque videbis in ventriculo, cujus membranacea moles magnitudine reliqua viſcera multum vincit. Oritur ab ore, terminaturque in ano. Ambiunt ipſum carneae fibrae & vaſa, globulique exterius ſic locantur, ut vice glandularum eos fungi manifeſto appareat. Circa pylorum hiant oblonga inteſtinula magnitudine & colore diverſa ad bilem & pancreaticum ſuccum ſeparandos. In ventriculi lateribus bina exiſtunt vaſa gummoſum liquorem, ex quo ſericum efficitur, continentia. Mira eſt illorum implicatio & circuitus in toto vermis corpore, claudique videntur ipſorum extrema capita. Haec quoque tracheae ramis minime carent. Neque viſcera modo, ſed & ſpinalem medullam, cranium, dentes, mandibula, & qui prope illa jacet, carneum tumorem, per quem ſtamen tranſit, quidquid demum in capite notatione dignum putavit, minute deſcribit Malpighius. Poſt id quomodo opus ſuum efficiat bombyx, & chryſallis papilioque demum evadat, ab eodem narratur. Papilionis minimas partes ſcrutatur, &

curioſa praeſertim in alium non ſolum forma, ſed & motibus, quos numerare illum non piguit, animadvertit. Plurimum elaboravit in noſcendo toto eo, unde ova generantur; quodque reprehenſus fuit a Swammerdamio ſe quaedam minus vere protuliſſe, quae ad generationem pertinent, id occaſionem illi dedit praeteritas obſervationes renovandi confirmandique, quibus res prorſus miras atque occultiſſimas patefecit. Quamvis vix ulla appareat varietas in vermis & papilionis corde, non ſine tamen admiratione animadvertit Malpighius, liquorem ab eo contentum ex ſuperiori ad inferiorem partem in papilione, contra ac fit in verme, moveri, quod tamen neque ſemper, neque ſine varietate quadam, & copia phaenomenorum ſane curioſorum accidere affirmavit. In his quidem explicandis fortaſſe minime haeſiſſet, ſi irritabilitatis, ut loquuntur, vis illi plane nota fuiſſet. Quoniam ad ea, quae quaerebat, multum proficere aliorum inſectorum atque animalium inſpectionem intellexit Malpighius, multorum hiſtoriam ſic junxit explicavitque, ut inde magnum naturae ſcientiae allatum ſit incrementum. Neque

diis ſolius tantummodo gloriam, ſed gratiam quoque adeptus eſt Malpighius. Adeo enim Socios regiae Britannicae Academiae, ad quos diſſertationem ſuam, ineunte an. MDCLXIX. de bombyce miſit, ſibi devinxit; ut hi ei uni plurimum viderentur tribuere. Edendam quoque curarunt eamdem diſſertationem, & ad ſimillima munera mittenda ipſum invitarunt. In quo non Malpighii modo, ſed etiam ipſius Academiae gloria agebatur, cum in eam honorificentiſſimo decreto cooptatus fuiſſet. De bombyce quoque accurate ſcripſit ad Silveſtrum Bonfiliolium, qua de re & praeſens cum illo egerat. Id enim opportunum & neceſſarium eſſe putavit ad confirmanda nonnulla, quae in dubium docti homines revocaverant. Exploratis hominum, brutorum, & inſectorum viſceribus; plantarum anatomen tractandam ſuſcepit, haud dubitans quin ex ea plura mutuare poſſet, quae magis magiſque noſcendae animalium fabricae conducerent. Quoniam vero res erat prope immenſi laboris; ab omni alia occupatione ſe expediendum, urbemque relinquendam putavit; ut illi uni ſe vacaret. Quanta voluptate hominem phi-

loſophum perfuſum exiſtimabimus in otio ac ſolitudine contemplantem terrae vim ac naturam, quae cum gremio mollito, ac ſubacto ſemen accepit, primum id occaecatum cohibet, deinde complexu ſuo diffundit, & virgultum ex eo elicit, quod nixum fibris ſenſim adoleſcit, & in varios ſe fundit ramos, veſtiturque foliis, a quibus orientes fructus ſeſe oſtendunt, qui cum & ſucco terrae, & calore ſolis augeſcant ac matureſcant, res ruſticas laetas faciunt. In hac vita plures conſumpſit menſes Malpighius: obſervationibus vero illius nihil invenit ſolertius Britannica Academia, ad quam adumbratam quamdam operis, quod inſtituerat, formam miſit. Iſtud opus, quod haud immerito omnium Malpighii maximum judicaveris, binas in partes dividitur. Cortex, quo obducuntur plantae, primum examinatur. Veſtitur hic epidermide, cui ſubjiciuntur reticulatae fibrae paribus intervallis diſtantes inter ſe, in quibus videre licet utriculos pellucido liquore refertos, & vaſa lacti, aliiſve humoribus, quibus plantae nutriuntur, deferendis idonea. Eadem ferme de libro dixeris. Nutricius humor in corticis utriculis concoqui-

tur. A cortice ad truncum tranſit Malpighius. Hic quoque, non ſecus ac cortex, ſuos utriculos, quorum nonnulli ab ipſo cortice ad medullam recta feruntur, ſuaque vaſa habet, per quae aut ſuccus aut aer tranſit. Aerea vaſa conflantur ſquamoſa lamina argentei coloris in ſpiram collecta, in qua tubi & veſiculae pulmonibus inſectorum ferme ſimiles includuntur. Unde plantarum liber, & quomodo in illis fibrae nodique ſenſim augeſcant minute perſequitur Malpighius. Neque minus, illo docente, ignoraveris quomodo exiſtat tum ea, quae gemma dicitur, tum ex hac orientes frondes & flores, in quibus non ſine admiratione omnes ferme plantae partes, vaſa, tracheas, utriculos adumbratos inſpexeris. In explicando harum omnium rerum natura & uſu oſtendit Malpighius magnam eſſe inter plantas & animalia corpora ſimilitudinem, quapropter folia cuti, ſtylum uteri tubis comparat: in ſeminibus vero eamdem vim rationemque generandi, ac in viviparis omnino agnoſcere videtur. Haec quidem in priori operis parte. In ſecunda autem ſeminum ſitus, ortus, incrementa exponuntur. Plurimis

comprobat experimentis plantas minime adoleſcere, niſi uterum in terra habeant, cotyledones in foliis, inque cotyledonibus umbilicalia vaſa atque utriculos, quae nutricium humorem recipiant, ac foetui tradant. Poſt haec natura exponitur tumorum, quos quorumdam inſectorum aut morſus, aut ova, aut aliae hujuſmodi generant cauſſae. Pilos & ſpinas a tranſverſis, qui continuantur, utriculis, deflexoque a ſua via nutricio humore gigni putat. Poſt id naturam earum plantarum inquirit, quae multiplici lapſu & erratico ſerpunt, quaeque claviculis ſuis, quaſi manibus, quidquid ſunt nactae complectuntur. Neque harum modo plantarum, ſed & illarum, quas paraſitas appellare ſolemus, fabricam proprietateſque examinat: ex ſemine ipſarum pleraſque oriri affirmat, & inclinare quoque videtur ad ſemina danda fungis, mucori, & muſco. Demum ſic deſcribuntur plantarum radices, ut eas a trunco minime differre appareat, ſi vaſa tamen aerea excipias, quorum major eſt copia in ipſis radicibus, in quibus medullae locum occupant. Hactenus ſatis mihi videor dixiſſe de operis diviſione ac materia,

Si quae praeterea ſunt (ſunt autem plurima) ab ipſo, ſi videbitur, Malpighio quaerito. Cujus quidem laus eſt ſingularis, quod primus plantarum fabricam ſic examinavit, ut omnes earum partes atque munera, quae illi natura aſſignavit, noſcere atque explicare potuerit. Non erat neſcius cum id aggreſſus eſt, fore ut hic ſuus labor in varias reprehenſiones incurreret. Quibuſdam enim totum hoc philoſophandi per experimenta genus diſplicebat; quo multa ex eorum ſcriptis recidi neceſſe erat; alii quibus novitas rerum ſuſpecta erat, & quod alienae inviderent laudi, libenter, ac interdum etiam acerbe & contumelioſe in omnia Malpighii inventa atque ſcripta invehebantur. Sed haec facile contemnebat philoſophus homo, quem non magis novitas, quam magnitudo rerum debebat ad exquirendas cauſſas excitare. Praeter quam quod ſe ſolari poterat multorum doctiſſimorum hominum, & ipſius Britannicae Academiae honorificentiſſimis teſtimoniis; neque illud erat ad gloriam mediocre, quod multi ejus libris ad ſcientiam rerum naturalium comprehendendam amplificandamque impulſi fuere.

Eodem tempore, quo is plantarum anatomiam explicabat, in eadem re elaborabat Britannicus homo praeſtanti doctrina Grewius; ſed neque ab eo, neque ab aliis quidquam ſumpſit Malpighius, qui, ut ita dicam, novavit & fecit ipſe hanc hiſtoriae naturalis partem. Quapropter miror equidem virum ſummum Linnaeum in explicando modo, quo plantarum folia in calyce plicantur, affirmaſſe ſe *praeterviſa anteceſſoribus* inveſtigaſſe, quaſi Malpighius hac in re, ut & in aliis multis, doctorum deſiderio minime ſatisfeciſſet (1). Jam vero illa longam orationem deſiderare putavit, quamobrem exiſtimaret neceſſaria eſſe vegetationi plantarum folia, ut ipſe vocat, ſeminalia, quae locum placentae, ſeu cotyledonum tenere dixerat ad ſuccum a terrae utero receptum ipſis plantis deferendum. Nam huic ſententiae ſeſe oppoſuerant Jo. Baptiſta Triumphettus Romani horti Praefectus, & Alphonſus Borellius, quorum argumenta ſic infirmavit ac diluit (2) ut quod dubium & incertum eſſe videbatur,

(1) Vid. Adanſon *familles des Plantes*. *Preface* pag. cxxxv.

(2) Legi haec poſſunt in operibus poſth. p. 63. & ſeq.

manifeſtum fecerit. Probavit etiam quodammodo injuriam ſibi Borellium feciſſe, cum fingeret cauſſas ad diſcordiam, eaque ſibi objiceret, de quibus antea, ut de probabilibus rebus, ſecum convenerat. Sapientius quidem ſe geſſit vir politiſſimus, & prudentia ſingulari Franciſcus Redius, ad cujus manus cum perveniſſet Malpighii diſſertatio *de Gallis* ſeparatim in Anglia impreſſa, ſuam quamdam, quam de iis antea ſcripto propugnaverat, ſententiam mutavit. Silentio praetereo quae Jeſuita Philippus Bonannius adverſus Malpighium ſcripſit, quod eum infra infimos omnes, qui hujuſmodi ſtudiis dediti fuerunt, homines fuiſſe puto, quamvis omnes garrulitate ſuperaret. Cum totum ſe Malpighius in contemplandis rebus perſpiciendiſque poſuiſſet, facile ab eo obtinuit Britannica Academia, ut opus, quod inſtituerat, *de formatione pulli in ovo & de ovo incubato* edolaret. Id eo libentius aggreſſus eſt, quod eam naturae conſuetudinem eſſe diceret, *ut omnia ab ovo produceret, vel ſaltem omnia ad modum ovi exordia & augmenta capeſſeret*. Innuit quae Hippocrates & Ariſtoteles, e recentioribus ve

To Aquapendens & Harvaeus attulerunt ad animalium generationem illuſtrandam, ne ea quae peperiſſe ipſe putabatur, aliunde didiciſſe videretur. Et profecto adeo pauca in re omnium obſcuriſſima noſcebantur, adeoque omnia plena erant errorum; ut novas ſe peragraſſe terras haud injuria gloriari potuerit. Sed ne latius hae patere viderentur (quis enim eſt tanto inflatus errore, ut omnia quae ad generationem pertinent ſe ſcire poſſe arbitretur?) paucis complexus eſt, quae ſibi fortunate videre contigit, quaeque hic referre haud pigebit. *Ex ſerie* (ait ille) *obſervationum in incubatis gallinarum ovis ſaepius repetita colligere licet, foecundis ovis ineſſe, tanquam principem partem, cicatricem, quae nihil aliud eſt, quam fluidi quaedam congeſtio, aggere quaſi concluſa, in qua prima animalium rudimenta continentur. Inſtituta itaque incubatione, vi tepidi caloris, rareſcente fluido, continentes, & ambientes ſolidae partes; intercurrentibus lymphis, quaſi in tot ſulcos ſolvuntur, & diſcontinuantur, & humor effluit, & pedetentim concluſus in centro cicatricis turget, & augetur. In hoc pariter manifeſtari incipiunt prima partium ſtamina, in quibus compangendis videtur,*

Natura primo quaſi aſſurgentes parietes excitare, quorum variis inclinationibus, & incurvationibus concavitates ſurgunt: intercepta itaque ſpatia ſubintrans fluidum replet, hinc carina, ſeu rudimentum ſpinae emergit. In exaratis parietibus lateraliter tumores fiunt per longum ſtatuti, qui loculos orbiculares referunt, ſubingreſſo ſenſim ichore manifeſtatos, a quibus vertebrarum prima compages. Spatium vero inter erectos parietes, admiſſo fluido, amplas veſiculas in latiori area exhibet, unde cerebri inchoamentum, ab his oblongus canalis, fluido refectus, appenſae ſpinalis medullae inchoat compagem. Quapropter Naturae inſtitutum videtur, omnia ex fluido tamquam prima materia, ſingula excitare, hac tamen ratione, ut ſolidiori materia delineatis veluti tot praeſepibus, & alveolis, partium delineamenta, & extimos fines deſcribat. Quinimo partium delineandarum inchoamenta utriculis, & ſacculis membranoſis inchoat, quorum poris, quaſi tot glandularum cribris, ſeparat determinatum fluidum ab eo, in quo innatat, & ita cuſtoditum plaſtico ſpiritu pervaditur, & organizatur, tranſpiratis incongruis, & facta debita ſuarum partium adaptatione. Hoc evidentius in papilionum partibus videmus, in quibus

ſacculi pro alis, antennis, & conſimilibus, quae ultimo manifeſtantur, longo tempore praeexiſtunt primo delineati, tandem fluidis redduntur, & ſolidefacta partis ſubſtantia, a continentibus ſacculis, veluti enſes e vagina eruuntur. Taliter igitur incedendo Natura carinam, cerebrum, & ſpinam plaſmat. Et quoniam animalibus neceſſaria eſt fluidi perennis circumvolutio pro vita, nutritione, & motu, ideo novam inſtituit choream. Ab extremo igitur cicatricis limbo tubuli veluti tot radices manifeſtantur, qui in truncum deſinunt: hic ad centrum cicatricis deductus curvatur, & in globulos laxatur, circa quos carnei lacerti circumducuntur, quibus veluti tot digitis comprimentibus, novus motus contento fluido communicatur, & cordis rudimentum excitatur. Propulſum itaque fluidum ulterius intra tubulum progreditur, donec redux ad limbum venarum & arteriarum, & ſucceſſive ſanguinis circulationi inchoamentum exhibeat. Ex ſubminiſtrata vero pedetentim materia a limbo derivatis humoribus ab exarato canali appendices fiunt, ex quibus viſcera, & muſculi conſurgunt. Hoc totum meditanti mutationes, & manifeſtationes expoſitas primis diebus incubatus patebit; unde concludere licebit, naturam ex fluida materia con-

cavitates ſolida ſubſtantia circumvallatas excitare; quibus admittitur congrua materia, quae in compagem partis aſſumitur, & ſtatuta hac ſolida partium textura, tamquam corporis baſi, canales manifeſtari cum propriis fluidis motum, ſenſum, nutritionem, reliquaque exequentes. Ex his igitur, & ſimilibus probari videtur, in cicatrice adeſſe compendium animalis, hoc eſt, delineationes primas principalium partium; extimos ſcilicet fines, qui, vegetatione media, communicato fluidis motu, cum ſenſim repleantur concavitates, & turgeant obviae fiunt ſenſibus. Quapropter incubatus ſolum motum communicat contentis fluidis, & partes extuberare facit, eaſque pervias reddit, & tandem conſolidando firmat; hinc ſuperfluum videtur quaerere, an cor ante cerebrum, an ſanguis ante cor gignetur, cum ſenſibus pateat, ante incubatum, carinam manifeſto in cicatrice jacere; inchoato autem incubatu, vaſa in limbo repleta turgendo occurrere, deinde ex motu cordis ventriculos, & exinde continuatos arteriarum tubulos. Et licet excurrens fluidum notas omnes non habeat veri ſanguinis, probabiliter tamen cenſere poſſum, ſanguinis non ſolam materiam eſſe, verum & ſanguinem, cum ipſae partes vivificentur,

& augeantur, ut in adultis contingit. Haec Malpighius, de quo Hallerius ait (1) ceteros phyſicos omnes ab illo, cum *de formatione pulli in ovo* ſcripſit, addita autem priori operi appendice *de ovo incubato* ipſum a ſeſe ſuperatum. Quoniam vero quaedam de formatione cordis prolata a Malpighio confirmatione & emendatione quoque egere putavit Hallerius, illud ipſum argumentum iterum tractandum ſuſcepit. Et ſane divino quo erat ingenio praeditus, & inuſitato quodam mentis acumine haud pauca ab aliis ignorata per ſe vidit, lapſumque Malpighium probavit, quod dextrum cordis ventriculum primum in pullo formari putaverit, & illam aortae partem, quam bulbum appellat, pro ſiniſtro habuerit. Illius profecto ſi valuiſſet ſententia, haud intelligi potuiſſet qui fiat ſanguinis circuitus. Quoniam vero naturae lumen ſtatim apparere videbatur, aliquid inquirente Malpighio, multi ab eo poſtulabant ne ceſſaret ab opere animantium varios ortus, variamque fabricam explicandi. Quae eſſet differentia quorumdam viſcerum in iis, quae cibum aut ſugunt, aut carpunt, aut

(1) *Preface ſur la formation du poulet.*

aut vorant, aut mandunt, notavit. Deſcriptionem etiam ſeparatim fecit unius alteriuſque aquilae a ſe diſsectae; & minute expoſuit, quae forma eſſet tum externa, tum interior vermium, qui in hominum & brutorum inteſtinis reperiuntur. Plura quoque perſecutus eſt de noctilucis, papilionibus, inſectiſque aliis, quae aliquid commune cum noctilucis habere videbantur. Cum animadvertiſſet contineri ſuccum quemdam eo in cavo, quod bini extremi annuli faciunt, hunc materiem & cauſſam lucis eſſe minime dubitavit. Quamvis ſatis accurate aliis locis uteri fabrica a Malpighio expoſita fuiſſet, rem eamdem iterum tractandam ſuſcepit in ea, quam an. MDCLXXXI. ad Sponium ſcripſit, epiſtola. Hoc autem loco conſideranti ſibi vim naturae, dum animalia & plantas generat, multa ſane occurrerunt, quae utrique rei mutuam afferre lucem putavit. Eſſe etiam nonnullam ſimilitudinem in monſtroſis foetibus non ſolum inter animalia & plantas, ſed etiam inter lapides pluribus exemplis poſtea probavit. Qua de re dum diſputat, eorum favere ſententiae videtur, qui ſuperfoetare poſſe animalia arbitrabantur. Om-

tum incrementum, ſabricam cornuum primus ex vero explicavit Malpighius, cujus rei occaſionem illi dedit monſtroſum cornu, quod e bovis collo emerſerat. His autem ſcriptis expoſita etiam ſunt ea quae de fibris muſculoſis, de fontibus muci, vaſiſque uteri ante protulerat, quo majoribus argumentis inventa ſua confirmaret. Idem fecit cum de glandulis conglobatis iterum ſcribendum ſuſcepiſſet rogatu Ricardi Vallerii, qui Henrico Oldelburgio (erat hic Regiae Londinenſi Academiae ab epiſtolis) ſucceſſerat. Perſeverabat ille quidem, & in ſua veteri ſententia permanebat, numeranda eſſe in glandulis non modo pericardium, peritonaeum, pleuram, teſtium membranam, quam vaginalem dicunt, ſed etiam inteſtina ipſa, ventriculum, cotyledones, omneſque magnos corporis humani cavos, qui totidem folliculi ſibi eſſe videbantur. Hoc opuſculum propter bella, quibus ardebat Anglia, ſero ad regiam Societatem perlatum eſt. Cum ad eam tamen pervenit, & magno exceptum plauſu, & ipſius Societatis ſumptu typis commiſſum fuit. Eodem ferme tempore de pinnarum textura,

& de pilis, quae antea vix attigerat, de unguibus, aliiſque corpuſculis e cute prodeuntibus uberius ſcripſit. Diverſa pilorum genera recenſet, in quibus etiam echini ſpinas annumerat. Sed ad illorum ſtructuram noſcendam uſus praeſertim eſt apri ſetis, & pilis, qui vel in inferiori labio equi & aſini, vel in naribus bovis enaſcuntur. Illos plantae comparat, quae germen ſub cute habet. Conſiderat quibus uſibus natura provida utilitatum opportunitatumque omnium eos deſtinavit. Fieri etiam interdum ait, ſed praeter naturam, ut circum viſcera pili generentur, quod uno alteroque probat exemplo. Quomodo ii augeſcant ac nutriantur, exponit. Eodem modo pinnarum omnes mutationes, naturamque perſequitur. Harum germen foetui comparat, cum & ipſum quoque membranacea vagina placentae ſimili, per quam alitur & pubeſcit, includatur. Nominatim etiam explicat omnes minimas earum partes; quare haud eſt mirandum ſi recentiores phyſici nihil habuerunt, quod ad inventa Malpighii hujuſmodi in rebus omnibus adderent. Atque illa quidem dum tractaret, ſaepe deducebatur ad eam co-

gitationem, num fieri poſſet, ut oculis ſubjiceretur inventum omnium nobiliſſimum de ſanguinis in animalium corpore circuitu. Neque enim ſenſuum fidem ſine ratione, neque rationes ſine ſenſibus exquirere ſolebat Malpighius. Huic rei opportuniſſimae fuerunt ranae, in quarum meſenterio & inteſtinis, quod fruſtra in multis animalibus quaeſierat, tandem invenit. Vidit itaque varios ſanguinis motus, qui fiunt & ex arteriarum, & venarum varietate, & ex diſparili diametro vaſorum, diverſiſque eorum flexibus; medio in canali magis quam ad latera moveri ſanguinem ait; quibusque de cauſſis hic motus aut langueſcat, ac rurſus reviviſcat, feliciter indagavit. Poſt haec colorem ſanguinis conſideravit, & ubi major eſſet copia globulorum, ibi magis illum rubere animadvertit. Erant qui hos globulos in gyrum agi crederent, quos facile fuit Malpighio erroris convincere. Mirari equidem poſſumus acri diligentia & judicio res hujuſmodi quaeſitas a Malpighio, diu non attendiſſe philoſophos nimium calculis ſuis tribuentes, quibus omnia, quae ad ſanguinis motum pertinent, explicare ſe poſſe rebantur. Neque mi-

nus illud mirandum, quod cum ratio philoſophandi tradita a Malpighio nunc in honore eſſe coeperit, audeant nonnulli tanquam nova lucem proferre, quae ſolertiſſimi viri libris ntur. Quos ego libros ſi pulcherrimarum ac reconditarum rerum theſauros appellem, minus quam debeam, praedicem. Et ſi artis maxime proprium eſt creare & gignere, non ſane video qui cum Malpighio conferri poſſit, qui in excolenda anatome & hiſtoria naturali tot magnarum rerum ſemina jecit, quae poſtea, accedente graviſſimarum facultatum ſcientia, & doctiſſimorum hominum experientia, quaſi mollita & ſubacta, ſenſim adolevere, & tandem aliquando laetam tulerunt atque uberem verae germanaeque ſapientiae frugem. Neque minus dedit ille materiem invidiae, & ſtultorum hominum criminationibus, qui cum viderent ſe decus & dignitatem non poſſe ſervare, ſi vigeret inſtitutum a Malpighio philoſophandi genus, hujus ſtudia plena futilitatis eſſe ſummaeque levitatis clamare non ceſſabant. Non commemoranda eſſe puto horum nomina, quae poſteritas quaſi perpetua oblivione obruit. Multorum

quoque ſcripta Malpighius ipſe indigna reſponſione putavit, praeſertim cum haberet ſuavem recordationem omnium magnorum hominum, qui graviſſimas injurias ſcientiarum, quas excoluerunt, cauſſa libenter pertulerunt. *Si mihi facere licuerit*, ſcribebat ille aliquando ad amicum, *quod jamdiu cogito, aut alius quiſpiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut quae diſperſa ſunt, ſcripta mea colligam, emendem, augeam, facile tum per ſe judicabunt aequi homines, non illi quos praepotens & temeraria philoſophia delectat, quantum contulerim ad utiliſſimarum diſciplinarum incrementum incognita aperiendo, obſcura explicando, & multa, quae erant diſſoluta & divulſa, conglutinando, & ratione quadam conſtringendo*. Interea ne minus lucide appareret quid praeſtiterit, ſuam ipſe vitam narrare inſtituit, quod fiduciam potius morum geſtarumque rerum, quam arrogantiam fuiſſe judicaveris. *Apud priores*, ajebat Tacitus iniquitatem ſuorum temporum conquerens ac deplorans, *ut agere memoratu digna pronum, magiſque in aperto erat, ita celeberrimus quiſque ingenio ad prodendam virtutis memoriam ſine gratia aut ambitione, bonae tantum conſcien-*

tiae pretio ducebatur. Non artem adhibuit Malpighius, non ornatum orationis, ut quae ſua mens, mores, diſciplina, ſtudia, inventa, diſputationes, fortunae fuiſſent, explicaret. Facile tamen ex narratis ab illo intelliges quantum praeſtiterit prudentia ceteris omnibus, & nullum ferme fuiſſe locum paullo obſcuriorem in univerſa anatome & hiſtoria naturali, cui non aliquam lucem attulerit. Saepe etiam hominum ſegnitiem & inertiam caſtigat, quos labor deterret, quominus naturam inquirant; eorumque levitatem coarguit, quibus cum objiciatur ſpecies quaedam veritatis, eam ſic tenent, ut nihil amplius inquirant. Atque hoc vitium tum commune erat omnium ferme philoſophorum. Itaque cum nunquam ipſe conquieſceret in ſeparando vero a falſo, & in confirmando exquiſitis experimentis & rationibus omni eo quod ſe inveniſſe putabat, ſi id ſibi aſſumebat, viam, quae ducit ad veritatem, ceteris monſtraſſe, videbatur id ſuo jure quodammodo vindicare. Fontes quidem, unde tantarum rerum ſcientiam hauſit, atque itinera ipſa ita putavit eſſe demonſtranda in commentario de rebus ſuis, ut qui hunc le-

git non multum deſideret lectionem operum illius; quin immo ut ſtudiis eorum ſatisfaceret, qui quae videbantur aut obſcura, aut dubia & controverſa illuſtrari & confirmari poſtulaverant, plurima in hanc rem conſulit, quae fruſtra in operibus ejuſdem quaeſiveris. Quod commentarium cum ad regiam Londinenſem Academiam mitteret, ipſum inter cetera ſcripſiſſe narratur: *non expectate a me, eruditiſſimi homines, ornatam orationem, cui nunquam ſtudui; ipſaque illa, quae in commentarium meum retuli, ſunt ejuſmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, ſed ab ipſa ſumpta natura, duce & magiſtra experientia; quae ſi vobis non probabuntur, veſtram iniquitatem accuſatote, qui ex me ea quaeſieritis, quae ego neſcirem, meam facilitatem laudatote, cum vobis non meo judicio, ſed veſtro ſtudio inductus non gravate ſatisfeci.* Non ſatis vero dici poteſt quantis exiſtimationis ſignificationibus hujuſmodi munera a doctiſſimorum hominum coetu acciperentur, qui quidem una voce de Malpighii doctrina in omni re anatomica & naturali ſic praedicabant, quaſi is artis ſuae antiſtes eſſet, & philoſophorum Homerus. Ad quam prome-

rendam laudem id praeſertim conduxiſſe arbitror, quod ejus induſtria minime in plura ſtudia eſſet diſtracta, & quod eaſdem res contemplandi nunquam diligentiam & patientiam amiſerit. Sunt quidem plurima hujus ſolertiae illuſtria exempla, ſed praeſertim recordari libet, quod de Philopoemene narrat Livius, cujus exemplum utinam omnes ii imitarentur, qui in aliqua praeclara arte excellere cupiunt. *Erat autem Philopoemen*, ait ille, *praecipuae in ducendo agmine locisque capiendis ſolertiae atque uſus, nec belli tantum temporibus, ſed etiam in pace ad id maxime animum exercuerat. Ubi iter quopiam faceret, & ad difficilem tranſitu ſaltum veniſſet, contemplatus ab omni parte loci naturam, cum ſolus erat, ſecum ipſe agitabat animo: cum comites haberet, ab iis quaerebat, ſi hoſtis eo loco apparuiſſet, quid ſi a fronte, quid ſi ab latere hoc aut illo, quid ſi a tergo adoriretur, capiendum conſilii foret? Poſſe inſtructos recta acie, poſſe inconditum agmen & tantummodo aptum viae, occurrere. Quem locum ipſe capturus eſſet cogitando aut quaerendo exequebatur; aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum enim intereſſe)*

uſurus, quo impedimenta, quo ſarcinas, quo turbam inermem rejiceret. Quanto ea, aut quali praeſidio cuſtodiret: & utrum pergere qua cœpiſſet ire via, an ea qua veniſſet repetere melius eſſet. Caſtris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, qua opportuna aquatio, qua pabuli lignorumque copia eſſet. Qua poſtero die caſtra moventi tutum maxime iter: quae forma agminis foret. His curis, cogitationibuſque ita ab incunte aetate animum agitaverat, ut nulla ei nova in tali re cogitatio eſſet. Satis de Malpighii ſtudiis me dixiſſe arbitrabor, cum illud addidero vel in maximis occupationibus ipſum nunquam intermiſiſſe medicam operam, quod munus ſe Reipublicae in primis debere putabat. Quando in ſuburbanum rus concedebat, ut ibi liberius rerum naturalium inquiſitioni vacaret, aſſidui ad eum fiebant hominum conſilia de rebus medicis exquirentium concurſus, & a principibus viris, quorum ſalus in diſcrimine verſaretur, eamdem ob cauſſam accerſebatur ſaepiſſime. Sunt in manibus hominum plurima, quae exaravit, conſilia (ſic enim appellant) ex quibus intelligi poteſt, quam prudens, quam cautus,

quam ſaepe etiam felix fuerit in arte omnium periculoſa & incerta exercenda. Ea propter ſic vivebat Bononiae Malpighius, ut in eum omnium oculi conjecti eſſent, & nihil ei deeſſe videretur neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendam. Sed placuit Innocentio XII., ut in clariori luce tanta virtus verſaretur. Nam cum ad Pontificatum Maximum evectus eſſet, ſtatim ad ſe advocavit Malpighium, cui valetudinis ſuae curam committeret. Vixerat cum eo familiariter quando Legatus Bononienſem Provinciam gubernavit; praeter quam quod nemo ignorat Pontificem illum, licet ei nec velox eſſet ingenium, nec multis ſubactum diſciplinis, litteras tamen in aliis adeo amaſſe, ut quos ipſarum compotes reputavit, cunctos honoribus ac liberalitate ſit proſecutus. Malpighio Romae viventi & propter ſingularem doctrinae opinionem, & propter Pontificis gratiam favebatur quidem ab omnibus; & cum in gravioribus morbis ab omnibus ferme conſuleretur, vix tempora ſubciſiva incurrebant, quae iis rebus, quas perſequimur meditatione, concederet. Arcadicis tamen conventibus recens

inſtitutis identidem intererat, quod magnam ex poeſi voluptatem caperet, quodque plures tum eſſent poetae, qui cum magnam ſpeciem doctrinae ſapientiaeque prae ſe ferrent, audiebantur, legebantur atque ediſcebantur, penituſque inhaerebant in mentibus. In eorum Academiam ipſe quoque legi voluit, Theonis Philacii nomine adſcito. Atqui non laudibus modo, ſed & liberalitate acuit nonnullorum induſtriam, cum conſuetudine beneficentiae paratus eſſet, & tanquam exercitatus ab bene de multis promerendum. Quid vita Malpighii non habebat commodi, quid non honoris? Non tamen chriſtianus homo commotus eſt, cum aetatis peractionem, tanquam fabulae, adeſſe ſenſit. Annus erat MDCXCIV. quando macie ſenſim deformari, & reſpirationis difficultate aliiſque valetudinis incommodis laborare coepit: quae cum graviora quotidie magis fierent, demum IX. Kal. Quintil. apoplexi ille correptus eſt. Habuit morbus a ſalutari arte levamenta, non illa tamen, quae virium & memoriae uſum, qua praecipue praeſtiterat, aegro redderent. Itaque cum vitae exitum inſtare ille ſentiret, nihil antiquius

habuit, quam ut ſcripta ſua colligeret, ordinaretque, quae ad Bonfiliolium miſit, illum etiam atque etiam rogans, ut eorum impreſſioni praeeſſet: ſi minus id poſſet, alicui ſaltem ex diſcipulis ſuis id negotii daret. Hanc rem egit Bonfiliolius cum Sociis Britannicae Academiae, quos ita in Malpighium animatos eſſe intelligebat, ut ad eorum mentes flectendas oratione minime indigeret. Convertit ille quaedam ex Italico in Latinum, quibus locus datus eſt inter opera poſthuma. Extitit etiam Ludovicus Donellius, qui Malpighii opuſculum adverſus Galeniſtarum triumphum Latinum fecit. Ceterum illa ipſa Academia, quae gloriam Malpighii ſibi cum eo eſſe communem arbitrabatur, ſumma diligentia mandatum perfecit; & cum ad Bonfiliolium litteras daret, ſignificavit illi, ſe ex omnibus maxime Malpighii mortem doluiſſe; dolere etiam quod eo frui ſibi non licuit, & beatiſſimos ſe putare, apud quos ille diutiſſime commoratus eſt. Deceſſit autem Malpighius III. Kal. Octob. MDCXCIV. in Aedibus Quirinalibus, cum iterum apopleſi perculſus fuiſſet; quod quidem illi minime improviſum inopinatumque accidit. Nam cum

totus eſſet in chriſtianae religionis officiis obeundis, dicere ſolebat ſe praeſtolari mortem, cum in vita nihil ineſſet niſi propagatio miſerrimi temporis. Defuncti corpus balſamo obliniendi cauſſa diſſectum (juſſerat enim illud adſportari Bononiam ac ſepeliri in S. Gregorii) mortis cauſſam liquido oſtendit. Siquidem in laevo cerebri ventriculo binae transfuſi ſanguinis unciae, in dextoro autem magna lenti humoris copia, & hic flavi coloris inventa eſt. Qua de re extat Baglivii ſcriptum, qui lacrimans extrema perſolvit amantiſſimo praeceptori officia. Statura fuit modica, pleno gravitatis adſpectu, colore inter rubrum & aquilum, curvis humeris. Valetudine uſus eſt tenui: nam adoleſcens & renum dolore vexatus, & ſtomacho graviter laboravit; ſenex vero cordis palpitationibus, capitiſque vertiginibus fuit obnoxius. Uxorem habuit Franciſcam Maſſariam magiſtri ſui ſororem magna prudentia & caſtimonia feminam, cum qua vixit conjunctiſſime. Cum ex ea nullos ſuſcepiſſet liberos, heredem inſtituit fratrem natu minorem, alioſque cum fratris ejuſdem, tum ſoro-

rum filios. Rei familiaris ad paucos, ſapientiae ad multos venit hereditas. Nam ex ejus ſchola multi prodierunt diſcipuli, per quos ad nos uſque, quaſi per manus tradita, recta philoſophandi ratio tum in medicina, tum in anatome, tum in hiſtoria naturali pervenit. Glorians ajebat Morgagnius ſe nepotem eſſe Malpighii, qua re innuere volebat, ſe rei anatomicae, qua tantopere floruit, doctrinam accepiſſe a Valſalva, qui totum illud, quod de phyſicis ſciebat, Malpighio referebat acceptum. Pro quibus meritis Bononienſes non ſolum vivo, ſed etiam mortuo ſingulares honores decreverunt. Poſita eſt ei ſtatua, cuſum numiſma, aliiſque monumentis hominis ſane immortalitate digniſſimi conſecrata memoria.

OPERA EDITA.

Epiſtolae duae de pulmonibus. Bononiae 1661. fol.

----- *Iterum cum Thomae Bartholini Diatribe de pulmonum ſubſtantia, & motu impreſſae Hafniae 1663. in 8.*

Tetras anatomicarum epiſtolarum Marcelli Malpighii, & Caroli Fracaſſatii de Lingua, & Cerebro. Acceſſit Exercitatio de Omento, Pinguedine, & Ductibus adipoſis. Bononiae 1665. Ex his quatuor epiſtolis ſuperiores duas Malpighius, poſteriores Fracaſſatus ſcripſit.

Exercitatio anatomica de viſcerum ſtructura, cui acceſſit Exercitatio de Polypo cordis. Bononiae 1666. in 4.

—— *Iterum Amſtelodami* . 1669. in 12.

—— *Iterum Jenae*. 1677. in 12.

—— *Iterum Francfurti*. 1678. in 12.

—— *Iterum in Biblioth. Anat. Mangeti*.

—— *Iterum Gallice reddita*. *Pariſiis* 1682. in 12.

Diſſertatio Epiſtolica de Bombyce figuris illuſtrata. *Londini* 1673. in 4.

—— *Iterum Gallice reddita*. *Pariſiis* 1678. in 4.

Diſſertatio de externo tactus organo. *Neapoli* 1665. in 12.

Anatomes plantarum idea.

Anatome plantarum cum figuris, cui acceſſerunt Obſervationes de ovo incubato. *Pars I. Londini* 1674. *fol. Pars II. Ibidem* 1679. *fol.*

Epiſtolae quaedam circa tractatus de anatome plantarum ultro citroque a Malpighio & Oldemburgio ſcriptae.

Diſſertatio epiſtolica de formatione pulli in ovo.

Epiſtolae quaedam circa hanc de ovo diſſertationem, aliaque ex occaſione ſubnata argumenta ultro citroque ſcriptae.

Appendix repetitas auctaſque de ovo incubato obſervationes continens.

Diſſertatio epiſtolica de cornuum vegetatione, utero, viviparorum ovis, plantis &c.

In Biblioth. Anatomica de le Clerc *ex Malpighii operibus leguntur*:

Reſponſio ad epiſtolam de recentiorum Medicorum ſtudio. *Tom. I.*

Exercitationes anatomicae.

—— *De Glandularum ſtructura*. *ibidem*.

—— *De externo tactus organo*. *ibid.*

—— *De Cornuum vegetatione*. *ibid.*

—— *De omento, pinguedine, & ductibus adipoſis*. *ibid.*

De

—— *De hepate. ibid.*

—— *De renibus. ibid.*

—— *De utero & viviparorum ovis. ibid.*

—— *De polypo cordis, & pulmonibus. ibid.*

—— *De cerebro. ibid.*

—— *De lingua. ibid.*

Opera omnia figuris illuſtrata. Londini. 1686. in fol. Vol. II.

—— *Iterum opera illa, quae, dum viveret, Malpighius in lucem emiſit, edita ſunt Lugduni Batavorum an. 1687. in 4.*

Opera Poſthuma figuris illuſtrata, quibus praefixa eſt Auctoris vita ab ipſomet ſcripta. Londini in fol. 1697.

—— *Iterum Amſtelodami cum Praefatione, & Supplementis neceſſariis Petri Regis Monſpelienſis. Editio longe priori anteponenda.*

—— *Iterum Venetiis 1698.*

Marcelli Malpighii Conſultationum medicarum Centuria prima, quam in gratiam Clinicorum evulgat Hieronymus Gaſpari: Patavii ex typographia Seminarii 1713. in 4.

Marcelli Malpighii & Jo. Mariae Lanciſii Conſultationum medicarum collectio: Venetiis ex typographia Joſephi Coronae 1747. Cum ad Mangeti & Valentini manus perveniſſent duo Malpighiana conſilia, tanti illa aeſtimarunt, ut libris ille *Bibliothecae Medico-Practicae*, hic *ſuae medicinae infallibili*, tanquam artis miracula, inſeruerint.

ANGELUS FABRONIUS

JULIO ORICELLARIO

S. P. D.

ET mea ſponte optabam antea, & poſt tuis cohortationibus magnopere ſum commotus, ut vitam explicarem litteratiſſimi viri Laurentii Magalotti. Opus perfeci quam diligentiſſime potui, nec mediocrem laborem in eo conſumpſi, cum conquirenda mihi fuerint monumenta rerum ex ingenti praeſertim, eaque non jam in unum locum collecta, ſed in multis diſſitiſque diſperſa ac diſſeminata multitudine epiſtolarum, quas ille vir dare ad amicos, & ab iis accipere ſolitus fuerat. Nec praetermiſi quoque naviter evolvere omnia, quae extant Magalotti ſcripta apud nobiliſſimum, humaniſſimumque virum Coſmum Venturium, ad quem illa cum omnibus Magalottae familiae bonis hereditate pervenerunt; & quidquid ſciri potuit ex memoria patrum, quod pertineret ad illius mores, factaque cognoſcenda, curioſe inveſtigavi. Reſtat, ut a te intelligam quid de eodem opere

ſentias, ſi modo tanti putabis, ut illud prudenti ſinceroque judicio tuo expendendum ſubjicias; & certe putabis, ſi humanitati ac benevolentiae erga me tuae conſtare voles. Vereor, ne putidum ſit tibi declarare, quae me cauſſae impulerint, ut de viris Italis, & Italarum litterarum gloria excellentibus Latine ſcripſerim. Feci id non odio patriae linguae, ſed quod melius conſultum iri famae ſummorum virorum, reique litterarum publicae ſemper putavi, ſi illorum facta, quae cognita omnibus eſſent profutura, eo explicarentur ſermone, qui ab omnibus, qui ſummis ſaltem labiis guſtarunt ſtudia doctrinae, intelligeretur. Qua in re imitatus ſum illorum Romanorum exemplum, qui quondam res Romanas litteris Graecis tradiderunt, ut eae patrios tranſgreſſae fines ad longinquas regiones, & ad ultimas etiam terras pervenirent. Accedit eo, quod magnopere intereſſe ſum arbitratus optimae ſtudiorum rationi, ut quiſquis pro viribus elaboret Latinas excolere litteras, quoniam in ea devenimus tempora, quibus ſtulta quaedam opinio tranſalpinis profecta regionibus permultorum occupavit animos, Latinam linguam, tanquam aetate jam grandi effoetam anum, turpem, rugoſam, edentulam, deliram negligendam; fruſtra te-

ri tempus in Latinis vocibus ediſcendis, cum Latinorum doctrinam omnem intelligentes interpretes in vernaculas linguas tranſtulerint; has ipſas linguas, ac praeſertim Italicam, ſatis graves, ſatis ſplendidas, ſatis ſuaves, ſatis copioſas eſſe, ut iis unice contenti eſſe debeamus; has unas provehendas, amandas &, ut ita dicam, procandas. Ex quo factum puto, ut propemodum nunc pudeat Latinum aliquod afferre in litteratorum hominum conventus, qui nullo non in Italiae angulo ſunt inſtituti; & ſi libri edantur, vix aliqui Latino ſermone, eoque puro & caſto ſint conſcripti. Profecto non ego id ſtatuo, ut linguam, quam in cunis cum lacte nutricis ebibimus, contemnamus; quin immo cum iis actum eſſe praeclare arbitror, qui in ea multum operae ſtudiique poſuerint. Verum illud contendo; Latinam linguam, quam tot ſaecula foverunt, minime de ſinu ejiciendam; ad hanc tanquam ad matrem ſuam confugere debere Italicam, ut ex ea opes, prudentiam, artem, ornamenta colligat; neque aliter ſe gerere debere noſtros homines in Latinas litteras, quam doctiſſimi Romanorum in Graecas ſe geſſerint. Scimus enim Ciceronem, Virgilium, Horatium, Propertium, alioſque diurna nocturnaque manu verſaſſe Graecorum volu-

mina, & ex his ſumptis omnium rerum affluentibus copiis ſcripta ſua locupletaſſe: ſcimus Aulum Albinum, Lucium Lucullum, Titum Pomponium, ipſumque Ciceronem, Acilium, Aelianum, ceteroſque Graece ſcripſiſſe; neque ignorare poſſumus praecepiſſe Quintilianum, ut puerilis inſtitutio a Graeca lingua inciperet, quod Latinae diſciplinae a Graecis fluxerunt, quodque Latinae linguae ſcientia a Graeca prorſus lingua penderet. Sed ſi verum amamus, non aliter de Latina lingua nos Itali judicare debemus; cujus ſtudium plus etiam prodeſſe poterit Italicis litteris, quae arctioribus vinculis cum Latinis, quam hae cum Graecis conjunguntur. Quapropter ſapientiſſime monitum eſt a Leonardo Salviato, cujus judicium omnes profecto ſciunt quanti in hoc rerum genere faciendum ſit, neminem, qui non guſtaverit Latinas veneres, & aureos Latinitatis ſcriptores diu multumque volutaverit, & imitando expreſſerit, poſſe ad perfecte Etruſce ſcribendi laudem aſpirare. Qua laude clariores non tulit certe haec civitas Dante, Petrarcha, Boccaccio, & Caſa, quos multo ſtudio ſe exercuiſſe in Latine ſcribendo conſtat inter omnes. Videbor equidem ineptus eſſe voluiſſe, quod tecum egerim de utilitate, neceſſitateque Latinarum litte-

rarum. Nemo enim haec te melius novit, qui cum ex ſchola Joſephi & Nicolai fratrum Averaniorum prodieris, ab iis non ſolum magnarum rerum ſcientiam, ſed etiam luculenter ſcire Latine didiciſti; ſic vero cum Latinis Graeca conjunxiſti, ut aemulari voluiſſe videaris majorum tuorum Joannis, & Bernardi Oricellariorum gloriam, quorum florebunt nomina, dum optimarum artium ſtudia vigebunt. Quod te ſcire velim, illud ſupereſt unum, brevi in lucem hominum prodituras Latinas epiſtolas, ſane doctas & laborioſas, quibus Hieronymus Ferrius Rhetor Faventinus, amiciſſimus meus, idemque liberalibus doctrinis politiſſimus defenſionem ſuſcepit Latinae linguae adverſus Gallos, ceteroſque, qui illi horribile ac nefarium bellum indixiſſe videntur. Habes epiſtolam verboſiorem fortaſſe quam velles. Cura ut valeas.

Florentiae Idibus Junii MDCCLXVIII.

LAURENTIUS MAGALOTTUS.

LAurentius Magalottus nobiliſſima inter Florentinas familia Romae ortus Id. Decembris (1) an. MDCXXXVII. parentes habuit Horatium Magalottum, & Franciſcam Venturiam. Is acceptam a majoribus nobilitatem plurimum doctrina, virtuteque auxit, ad quas concipiendas ab ineunte aetate praeparatus eſt. Matrem enim habuit caſtiſſimam, diligentiſſimamque, nec vulgariter eruditam; patrem ſatis ſtudioſum literarum, quem munus Praefecti tabellariorum, quod ſuſtinebat apud Urbanum VIII. P. M., aliaeque publi-

(1) Scripſerunt de vita Magalotti pauca quaedam Salvinus Salvinius, & Cajetanus Cambiaſius, hique errarunt in notando die ortus Laurentii noſtri. Erroris ſuſpicionem mihi movit epiſtola ejuſdem ad Leonem Stroctium. Itaque communicata re cum viro clariſſimo, amiciſſimoque meo Petro Aloyſio Galletio Abbate Caſſinenſi, quem non ignorabam evolviſſe omnes libros, in quibus deſcribuntur nomina eorum, qui Romae ortum habuerunt, vitamque amiſerunt, ad contexendum Romanum Necrologium, ab eo quid certi eſſet comperi.

eae occupationes minime impedivere ab inſtruendo optimae ſpei filio. Hic e domeſtica diſciplina venit ad Jeſuitas, cum ageret annum decimum tertium. Adoleſcens vero factus cum philoſophiae tenendae ſtudio eſſet incenſus, multa ad eam rem habuit adjumenta ab Antonio Oliva, qui tum Barberiniis ſeſe devoverat, poſteaque Piſis medicinam docuit, ab Jeſuita Honorato Fabrio, & ab Antonio Lancio Canonico, ut vocant, Regulari, hominibus ſane praeſtanti doctrina. Sed mira praeſertim Laurentius de Lancio praedicabat, cum hunc vel ipſi Galilaeo in epiſtola quadam ad amicum comparare videatur. Hoc confecto Romae ſtudiorum curriculo, ad Academiam Piſanam venit an. MDCLVI. ea mente, ut juris prudentiae praeſertim ſtuderet. Non hanc hauſit, ſed voravit. Teſtatur enim de ſe ipſo illam facultatem ſic tenuiſſe non amplius ſexdecim hebdomadarum ſpatio, ut praeceptores eum ab ſe ſumma admiratione dimiſerint. Profecto ſi de illa juris prudentia omni eruditionis dote locupletata, quae nunc eſt in uſu, loqueretur, meras fabulas illum loqui judicaremus. Eodem anno & inſequenti haud mediocriter

incubuit anatomiae, quod illum ad ſuas anatomicas exercitationes Malpighius & Borellius facile admitterent, capti adoleſcentis humanitate atque ingenio. Ut vero plane ſatisfaceret amori, quo maxime ferebatur in mathematicas & philoſophicas diſciplinas, per triennium Florentiae operam dedit Vincentio Vivianio, quem ſic ſibi devinxit, ut nemo ei perpetuo fuerit carior. Quantam vero opinionem de Magalotti ingenio haberet Vivianius ſatis declarant ea, quae ipſe ſcripſit in praefatione libri *de maximis & minimis*, quaeque hic referre libet, quoniam ſunt ad adoleſcentis laudem maxime illuſtria. *Nec praeſtantiſſimo adoleſcenti Laurentio Magalotto celatum volui, inſimul ratus amicitiae candori labem inferre, ſi haec mea qualiacunque inventa feliciſſimum, atque admirabile prorſus ingenium latuiſſent, mathematicis non minus, quam philoſophicis, atque anatomicis ſtudiis impenſe addictum, Juris prudentiae ſacris initiatum, Muſis, qua Latinis, qua Etruſcis apprime carum, ad omnia egregia aeque natum, nulliſque demum equeſtrium exercitationum decoribus deſtitutum, qui ingenuum, & ornatiſſimum Patricium decent, e cujus tam clara adoleſcentiae aurora fulgentiſſimum*

virilitatis meridiem Patria haec merito auguratur). Merito quidem augurata eſt. Nondum enim ex adoleſcentia egreſſus erat Laurentius, cum ea geſſit in litterarum bonum, quae non tam ſpe & expectatione, quam re & maturitate fuerunt laudatiſſima. Ad quae declaranda non ab re erit de Academiae *del Cimento* hiſtoria nonnulla ſubtexere. Florebat unus omnium maxime e Mediceis Principibus Leopoldus Coſmi II. Magni Etruriae Ducis, & Mariae Magdalenae Auſtriacae filius. *Fuit enim* ut de Tito Capitone praedicavit C. Plinius Secundus, *vir optimus, & inter praecipua ſaeculi ornamenta numerandus: colebat ſtudia, ſtudioſos amabat, fovebat, provehebat, multorumque, qui aliqua componebant, portus, ſinus, praemium; omnium exemplum, ipſarum denique litterarum jam ſeneſcentium reductor, & reformator.* Sic fere accidere videmus, ut qua in familia laus aliqua floruerit, eam, qui ſunt ejuſdem ſtirpis, cupidiſſime perſequantur. Neque Leopoldus praeclarae illi ſuae in litteras voluntati ſe ſatisfacere poſſe putavit, niſi Academiam ſuis in Aedibus inſtitueret, cui naturae per experimenta inveſtigatio, quod ſtudium ipſi & fratri

Ferdinando II. Magno Etruriae Duci jamdudum erat in deliciis, unice propoſita eſſet. Regendam hanc dedit quibuſdam viris geometriae ſcientia inſignibus, & Alexandro Segnio munus aſſignavit deſcribendi quidquid experimentorum in eadem Academia haberetur. Sed hic non triennio amplius in ſuſcepta provincia permanſit, eique datus eſt ſucceſſor Laurentius Magalottus, commendatione praeſertim Borellii & Vivianii, quorum magna erat propter ſingularem eorum doctrinam in Academia auctoritas. Cunctis Academicis praeerat Leopoldus, qui ſaepe etiam collegae partes agebat, qua experiendo, qua cogitata a ſe in medium afferendo; videbaturque odorari omnia, & perveſtigare acutiſſime, diligentiſſimeque. Conventus Academicorum celebrari coeperunt anno MDCLVII. quibus nullam aliam legem praeſcripſit Leopoldus, niſi ut nihil praejudicati illuc afferretur, & ſine ſtudiis diſſenſionis veritas quaereretur, inventaque ſuo in lumine collocaretur. Porro haec una laus deeſſe videbatur illi omnium pene doctrinarum & artium vel inventrici, vel reſtitutrici Florentiae, ut prima exemplum

daret illorum coetuum, in quibus rerum phyſicarum ſtudia pulcherrime colerentur. Tam illuſtris civitas merito quidem geſtiebat, cum videret ea parari ab Academicis ſuis, quae clariſſimam lucem in obſcuritate rerum naturalium, qua tum omnes fere Europae ſcholae miſere involvebantur, eſſent allatura. Ad quam rem obtinendam curavit Magalottus, ut ſuae partes minime deſiderarentur. Erat enim in Academia aſſiduus, notabat omnia diligenter, ſtudebatque non tam dilucide, quam eleganter experimentorum narrationem exponere. Quod quidem ei multo labore ſtetit. Etenim quo tempore Romae fuit (fuit autem ad annum uſque MDCLV.) minus ſtuduerat Etruſce ſcribendi elegantiae; & primis annis, quibus in Etruria commoratus eſt, effuſa ſine intermiſſione contentio ad majores facultates minime illi ſtudio locum reliquerat. Volens itaque Laurentius temporis jacturam reſarcire, totum ſe dedit lectioni optimorum ſcriptorum, ac praeſertim Boccaccii; cumque a nonnullis reprehenderetur, quod in eo, tanquam in ſilice quadam, adhaerere videretur, ille ſui judicii potius quid ſe facere par eſſe intueba-

tur, quam quod alii laudaturi forent; ſolitus dicere malle ſe ſimilem eſſe Boccaccii, quam Lauretani, Maſcardii, & Cardinalis Bentivoli. Nae totum Decameronem memoriter ipſum tenuiſſe oportet, utpote qui nonnullas fabulas dicendi modis ex eo libro ſumptis, quaſi teſſellatum opus, componere potuerit. Cujus induſtriae profecto eumdem non poenituit: ſucco enim, & ſanguine illo incorrupto, qui a ſcriptis veterum petitur, ſic aluit ſtylum ſuum, ut nemini elegantia, ac munditia orationis concederet. Senſit ille narrationem experimentorum, quam fecerat primis temporibus, quibus Academiae operam ſuam dederat, vix dignam eſſe illa facultate, quam ex diuturna veterum lectione, exercitationeque conſecutus fuerat. Itaque de retexendo opere cogitavit; ſed ne faceret varia obſtiterunt impedimenta. Interea juſſus eſt a Leopoldo librum experimentorum edere. Qua re imperata, non plus habuit temporis Laurentius, ut multa mutaret, multa de integro texeret, quam quod ſibi a typographo concedebatur. Diu tamen duravit impreſſio libri, qui cum exeunte an. MDCLXVI. in publicum prodiiſ-

ſet, ab intelligentibus viris ſic exceptus eſt, ut in eo non minus ſtyli elegantiam, quam novitatem, gravitatemque rerum admirarentur. Illa tamen plane contentus non erat Magalottus, ſicuti declaravit Octavio Falconerio, cui etiam faſſus eſt, nonnulla exquiſita nimis ſibi excidiſſe: ſed haec mediocria, aut nullius momenti fuiſſe oportet, quoniam Joſephus Averanius (qui quantuſque judex!) non dubitavit aureum plane dicere hunc librum, & dignum quem ſibi omnes, in philoſophicis praeſertim deſcribendis rebus, tanquam exemplar, ad imitandum proponerent. Ex eo profecto intelligi poteſt nihil tam horridum tamque incultum eſſe, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur, nihilque magis ad legendum allicere, quam elegantiam & munditiam ſermonis. In praefatione autem ad hanc elegantiam adjunxit etiam Magalottus illa oratoria ornamenta dicendi, cum philoſophiam, id eſt veritatis ſcientiam, omnium matrem artium, donum atque inventum Dei fuiſſe probare vellet. Tantum quidem hujus operis elegantiae tribuit Academia, quae eſt Etruſci ſermonis cuſtos & ma-

deratrix, ut ſaepe exemplis ex eo ſumptis utatur ad comprobandum quod rectum eſt in oratione. Pleraque in eodem libro contenta declarant aeris preſſionem, reliqua vero ſpectant naturalem congelationem aquae aliorumque fluidorum corporum, varios caloris, & frigoris effectus, aquae compreſſionem, nonnullorum corporum, quae omnino levia putabantur, gravitatem, magnetem, ſuccinum, aliaque electrica corpora, lucem, colores, ſonum, projectus, hiſque ſimilia. Neque ſolum experimentorum libro ſcribendo utilem operam praebuit Academiae Magalottus, ſed etiam ejus nomine multa per litteras communicando de rebus naturalibus cum doctiſſimis viris, praeſertim Gallis & Anglis. Scripſit etiam opuſculum an. MDCLX. ad Chriſtianum Hugenium, in quo multa erant aſtronomica, ſuppeditata praeſertim a Borellio, quae mirifice confirmabant ejus de Saturni annulo inventum. Quinquennio tamen tardius illud impreſſum eſt; qua occaſione optaſſet Joannes Dominicus Caſſinius, ut libro quaedam adjungerentur, quae furtum aperirent, quod Hadrianus Auzutus ſe-

cerat ſuae theoriae de reverſione, & motu conſtanti cometarum; nec non quaedam alia, quae attingerent diſceptationem, quam cum Bulialdo habuit de determinando geometrice apogaeo, & excentricitate cujuſvis planetae, poſitis duobus intervallis inter locum verum, & locum medium. Verum ad haec delabi non debere putavit Laurentius. Illa tamen declarant quantum Caſſinius tribueret judicio Academiae, quae non mediocria ſunt, aut obſcura ad laudem ejuſdem. Non progrediar longius in narratione rerum, quae ad hiſtoriam omnium nobiliſſimae Academiae pertinent. Si quis tamen ſcire cupiat quo tempore, quibuſque de cauſſis illa eſſe deſierit, illum ad Clementis IX. vitam rejicimus, in qua plura hac de re perſecuti ſumus. Magalottus quidem, ut illa reviviſceret, non ſolum deſideravit, ſed etiam vehementer popoſcit & flagitavit. *Suſcepiſti, & geſſiſti*, ſcribebat ille aliquando ad Leopoldum Principem, *res prope incredibiles ad ſcientiarum incrementum. Maxime quidem intererat, in phyſicis praeſertim, hominum mentes ab errore deducere, verum a ficto, certumque ab incerto, ac probabili ſecernere, removere multa, quae*

obſtabant, quominus veritatis lux appareret. Huic quidem rei glorioſe a te conſultum. Reſtant tamen alia multa, cum niſi gradatim nobis Dii ad magna inventa pervenire conceſſerint. Quare jure meritoque a te omnes non ſolum poſtulant, ſed etiam exigunt, ut pergas conficere iter reliquum. Extat etiam Italicum carmen Magalotti ad ipſum Leopoldum (1), quo hunc cohortatur ad retinendum rerum phyſicarum ſtudium; ſed tanta rerum facta erat commutatio tum ob diſceſſum ab Etruria illuſtrium Academicorum, tum ob novum vitae genus, quod Leopoldus creatus jam Cardinalis inſtituere coactus eſt, ut inanis omnis cohortatio fuerit. Eodem tempore, quo Laurentius occupabatur in ſcribendis Academiae commentariis, veniam a Leopoldo obtinuit Romam redeundi ad patrem. Viſa eſt occaſio commoda & idonea ad conſulendum virum perfecta doctrina Michaelem Angelum Riccium de iiſdem commentariis, ceteroſque, a quibus ſe corrigi & doceri poſſe putabat Laurentius. Verum ad hoc ſuſcipiendum iter magis illum moverunt domeſtica negotia, ſpesque obtinendi ceſſionem cujuſdam divitis ſa-

O

(1) V. Vol. 4. *delle lettere inedite d' uomini illuſtri* p. 312.

cerdotii a Cardinali Barberinio, quocum non uno cognationis vinculo conjungebatur. Is enim matrem habuerat a domo Magalotta, & Laurentium e ſacro baptiſmatis fonte ſuſceperat. Egit rem per amicos ejuſdem Cardinalis; verum ubi de illa impetranda ſpem ſe feſelliſſe intellexit, conſtituit optimum eſſe Florentiam regredi, eoque curas intendere, ut referretur in numerum nobilium cubiculariorum, qui officia ſua Ferdinando II. praeſtabant. Quod quidem ei facile fuit. Nam huic ſuae voluntati favit, adjutorque fuit Leopoldus Princeps, a quo omnia ſibi poterat polliceri; eaque erat opinio, quae virtutis, doctrinaeque illius occupaverat animum Ferdinandi, ut hic nihil magis vellet, quam ut tantus adoleſcens (tunc enim vix exceſſerat quintum & viceſimum aetatis annum) apud ſe eſſet, ejusque quotidiana conſuetudine uteretur. Ad illa animi ornamenta accedebat magna corporis dignitas, quae non minimum commendat, ſcientiaque ſaltandi, equitandique, ſic ut plane ad aulam Laurentius natus, inſtructuſque eſſe videretur. Non mediocris quoque erat in eo cognitio architecturae, & praeſertim pi-

ctura, cujus rei hoc ſatis erit teſtimonium, quod Cyrus Ferrius plurimum ejus conſilio uſus eſt in pingendis Saturni, & Apollinis fabulis in Mediceis aedibus. Sed quam naturaliter eſſet in hanc artem propenſus ex hoc puto conjici poſſe. Quadrimus idem erat, cum forte incidit in quamdam Titiani tabulam eximia pulchritudine. Exhibebat haec pueri imaginem, quae facile potuit ad ſe allicere aequalis oculos. Ut vidit Laurentius, quaeſivit illico a matre, a cujus latere nunquam diſcedebat, quis tam praeclarum opus pinxiſſet? *Se ignorare*, reſpondit mater. Cui Laurentius: *quoniam in hac re mihi non ſatisfacis, patiare ſaltem illud me quantum libet contemplari*. Tam alte impreſſa eſt in pueruli animo picta imago, ut poſteaquam grandior factus eſt, per ſe judicare potuerit illam Titiani opus eſſe; & ſexaginta quinque poſt annos tam minute, tam graphice non amplius viſam tabulam amico cuidam deſcripſerit, perinde ac ſi ante oculos tum ſibi propoſita fuiſſet. Quod quanquam nonnullis leve viſum iri putem, nolui tamen praeterire, ut facilius homines intelligant, quam fautricem Laurentius nactus ſit

naturam in tribuendo ingenio ad omnia pene apto. Quare minime eſt mirandum ſi Principibus ſuis fuerit cariſſimus, & ſaepe Magnus Dux ſocium ſtudiorum ſuorum (erat enim non vulgariter litteris deditus) ipſum habuerit. Non leve quoque ei indicium dedit voluntatis & exiſtimationis ſuae Alexander VII. P. M. quo tempore a Leopoldo Principe accepit magnam inſtrumentorum partem, quibus Academia *del Cimento* ad experimenta utebatur. Nam cum rationis eorum tractandorum perſpicuam, & dilucidam cum elegantia deſcriptionem feciſſet Laurentius, hujus operam remunerandam putavit Pontifex; ipſumque donavit quadam, ut vocabant, Hiſpanica penſione, ex qua quinquaginta aurei nummi ad ſex annos eidem redicere. Idem Pontifex non ceſſabat quoque celebrare purum quaſi quoddam, & candidum orationis genus, quo Laurentius illud ſuum experimentorum naturalium opus perpoliverat, cum judicium feciſſet ex aliquot ejuſdem operis paginis, quas priuſquam illud in vulgus ederetur (editum enim eſt mortuo eodem Pontifice) Romam ad ſe afferri curaverat. Sic cum fama, atque opinio de

Magalotti eruditione, doctrinaque quotidie magis invaleſceret, is ad egregia ingenii facinora maxime impellebatur. Erat enim laudis cupidus; partaque jam gloria majorem in eo gloriae ſitim videbatur accendere. Suſcepit opus, quo explicaret, quomodo eſſe poſſint ſuavitates odorum ſine ullo corporis, a quo afflantur, detrimento atque jactura; quod cum alienum a veritate videretur, praeclare ſecum agi putavit Laurentius, ſi in ejuſmodi re veroſimile quod eſſet inveniſſet. Neque ſolum in hoc pertractando argumento phyſici partes agere volebat, ſed etiam eruditi, cum ad illud ipſum ornandum e ſcriptis veterum omnia, quae pertinebant ad odores, collegiſſet. Verum opus hoc imperfectum & rude reliquit. Abſolvit tamen Italicam orationem, nobilem illam quidem, & elegantiſſimam, qua carpſit variam hominum voluptatem in novis quotidie admittendis odorum generibus, cum accideret, ut qui odores ſemel perplacuerant, mox faſtidirentur. Ceterum Magalottus erat odorum amantiſſimus, eorumque componendorum valde ſtudioſus. Qua in re tempori ſerviebat, cum rudis & impe-

litus tum haberetur, qui haec minime curaret. Eodem tempore laboravit in contexendo opere de vi electrica, quod cum in duas partes diviſiſſet, alteram experimentorum hiſtoriae, eorumdem examini alteram attribuit. Hoc opere fortaſſe ſupplere volebat quod deeſſe videbatur Florentinae Academiae commentariorum libro. Sed iis temporibus tanta in ignoratione rerum electricarum vel doctiſſimi homines verſabantur, ut magni quidpiam ab iis minime expectari potuerit. Sed indagatio ipſa rerum occultiſſimarum habebat oblectationem. Vix etiam dici poteſt quam delectaretur Laurentius in notando aſtrorum curſu. Contemplans enim ſupera atque caeleſtia videbatur ſibi elatior fieri, & humana, tanquam exigua & minima deſpicere. Et ne ullus praetermitteretur tempus aliquid agendi, cogitandique, poſtmeridianas horas tribuebat lectioni SS. Patrum, e quibus mirabiliter diligebat Tertullianum; videbaturque Laurentius illud dolere, quod minime tuliſſet Deus, ut ſe totum ſacris ſtudiis, ſacraeque vitae addiceret. Cum ineunte an. MDCLXV. Florentiam adveniſſet Jeſuita Joannes Graeberus, &

ex ipſo curioſa multa ad hiſtoriam rerum Sinenſium pertinentia (diu enim in Sinarum regno Religioſus ille commoratus fuerat) didiciſſet, eadem libello complexus eſt, quem ad Coſmum Ferdinandi II. filium inſtituit. Quanquam libellum hunc ſe ſcripſiſſe raptim fateatur Laurentius, talis tamen eſt, ut Janus Vincentius Gravina affirmaverit epiſtola Latina quadam ad eundem Magalottum, in eo praeter novitatem, varietatemque rerum maxime admiratum fuiſſe ſtyli perſpicuitatem, candorem, atque elegantiam, praecipue vero feſtivitatem ſermonis, artemque res etiam per ſe humiles venuſtate orationis attollendi. Cui laudationi haec, ut puto, notatu digna addidit idem Gravina: *ſuccenſere ſe Laurentio, quod cum tales haberet facultates, quales ex illa narratiuncula, tanquam Apellem ex linea, ipſe cognoverat, non ſe conferret ad ſcribendam ſuorum temporum hiſtoriam. Id enim ſi faceret, rem facturum dignam animo, ingenioque ſuo, & patria, quae ſummis viris e ſinu ſuo editis collabentem iterum Italiae doctrinam omnium prima reparavit.* Neque illud eſt mediocre ad laudem memorati libelli, quod Melchiſedech Thevenotus Ludovici XIV.

Galliarum Regis a bibliotheca illum ipſum Gallicum in ſermonem vertit. Expoſuit etiam Italice Laurentius, cum interpretem habuiſſet Siculum quemdam cognomento Intorcettam ex eadem Societate Jeſu, opus morale illius Confucii doctrinarum omnium divinarum, humanarumque apud Sinenſes magiſtri. Erat enim non magnus, verum aureolus, & ad verbum ediſcendus libellus. Eodem ferme tempore ſcripſit Magalottus de ſalium natura ad Horatium patrem, qui ſaepe hujuſmodi munuſcula ab induſtrio filio flagitabat. Sed haec, & quae de atomis frigoriferis ad Horatium Oricellarium ſcripſit, haud magni momenti eſſe putaveris. Sunt & quaedam de circuitu aquae per nervos, & vaſa lymphatica, quae ejus de rebus anatomicis ſcientiam declarant. Cum autem is vellet relaxare animum a philoſophia, aliiſque gravioribus ſtudiis, ad Italicam poeſim ſe conferebat, ad quam eum finxerat natura. Sed illam in pueritia coluerat negligentius. Saepe enim ſumpſerat in manus ſcriptores abhorrentes a recta & ſimplici, in qua praecipua poetarum ſita laus eſt, imitatione naturae;

ab iiſque nonnihil contraxerat fucati illius ſplendoris, qui ita occaecaverat animos hominum, ut qui verſum maxime inflaſſet, & ſententiam maxime contorſiſſet, is majori in pretio haberetur. Ut autem coepit Magalottus guſtare ſcripta optimorum poetarum, mirum quanta, & quam brevi tempore ſit conſecuta mutatio. Ex omnibus unum maxime diligebat Dantem, nihilque curabat magis, quam ut ſuis carminibus vim illius exprimeret, & formas illas, comparationeſque ex rerum natura, & veritatis exemplis deſumptas in ſua ſcripta transferret. Quare minime eſt mirandum ſi multum operae ad ſenſus ejuſdem penitus intelligendos contulit. Qua in re cum longius, quam ceteri omnes interpretes, proceſſiſſet, cogitavit aliquando commentata, & ſcripta a ſe in lucem proferre. Quod vero rem minime perfecerit, nec reliquerit niſi interpretationes in quinque priores cantus Inferni, plurimum dolere debent illius Poeſae amatores. In hoc quoque ſeſe oſtendebat amor, quo flagrabat Magalottus in Dantem, quod ſaepe ſententiis ex eo uſurpatis, tanquam fulgentibus gemmis, ſcripta ſua, ſermones

que ſuos illuminaret. Deditus quoque fuit a pueritia Latinae poeſi: ſed non multum in hac profecit; & quidquid Latine ſcripſit (non multum autem ſcripſit) ſive numeris adſtricta, ſive ſoluta oratione, ei flos, & color defuit aureae aetatis ſcriptorum. Attigit etiam poetas Graecos: ſatis enim luculenter Graece ſciebat, qua in facultate praeceptorem habuit Joannem Targionium Florentinae Baſilicae S. Laurentii Canonicum. Quod maxime eluxit in ea, quam Anacreontis fecit Italicis verſibus interpretatione, quae tota concinna eſt, elegans, & venuſta, & mirabiliter exprimens poetae ſenſus. Ad laudum autem ſummam accedit, quod Magalottus aut primus, aut in primis certe fuerit, qui illam rem tentaverint. Opus enim anno MDCLXX. perfecerat, biennio antequam Philippus Corſinius interpretationem ſuam ederet. Quid autem a proferendo illud ipſum in aſpectum hominum Laurentium retraxerit, ignoro. Interea Florentiam advenit Bartholomaeus Herbelottus vir doctus, & Arabicae linguae peritiſſimus. Tenuit, quam optabat, ejuſdem linguae addiſcendae occaſionem Laurentius;

neque ſatis dici poteſt quam feliciter hoc illi proceſſerit. Tanta vero felicitas animum ei adjecit ad alias Orientis linguas percipiendas, ac praeſertim in Turcica verſatus eſt, quod ex hac facilem ad ceteras (ex omnibus enim ferme componitur) aſcenſum eſſe intelligeret. Quas vero loquuntur linguas cultiores Europae populi, eas uſu magis, quam ſtudio didicit, idemque non ſolum pronuntiabat, ſed etiam ſcribebat Gallice, Hiſpanice, & Anglice ſic, ut appareret in eo nativum quemdam leporem eſſe, non adſcitum. Quod opportunitate trium itinerum, quae per illa regna fecit, conſecutus eſt. Ingreſſus eſt primum an. MDCLXVII., cum habuerit comitem Paullum Falconerium, virum omni liberali arte, maximeque poeſi, & architectura eruditiſſimum, quocum, totaque domo Falconeria maximis erat Laurentius amicitiae vinculis conjunctus. Longius ipſi trans alpes, & mare proceſſerant, cum regredi juſſi ſunt a Ferdinando II. Magno Etruriae Duce, comitarique una cum aliis optimis viris filium ſuum Coſmum in itinere, quod is per Europam faciebat. In hac peregrinatione Lauren-

tius incidit in febrim, ex qua non convaluit niſi ſex poſt menſes. Is autem non magis ſibi, quam Principi cariſſimo ſe convaluiſſe exiſtimans, nihil aliud egit, quam ut ipſi in omni re conſilio, fide, atque opera praeſto eſſet. Ut primum in Angliam venit Magalottus maxime optavit, ut ſibi aditus daretur ad ineundam amicitiam cum Roberto Boyleo, quem cum Oxonii conveniſſet, honorificentiſſime ab eo exceptus eſt: etenim illi fama bene cognitus erat. Cumque conſpectu ipſo, congreſſuque majorem etiam de ſe opinionem feciſſet, brevi mirabilis quaedam inter eos exarſit benevolentiae magnitudo, quam ad extremam aetatem aluit praeſertim ſimilitudo ſtudiorum. Nullum vero majus teſtimonium afferre poſſum hujus conjunctionis, quam quod eo tempore, quo Laurentius Londini aeger fuit (fuit autem duobus fere menſibus) tanta diligentia ei Robertus officia ſua praeſtitit, ut quotidie ad duas, treſve horas ejus lectulo aſſideret. In ſumma oblectatione ac ſolatio, quod ex viri amantiſſimi conſuetudine percipiebat Laurentius, dolebat unice, quod non iiſdem Religionis ac Fidei, ſicuti

amoris vinculis utriuſque animi inter ſe jungerentur. Quae res eum impulit, poſtquam in patriam rediit, ut eidem ſcriberet longiſſimam epiſtolam, qua convellit errores, quos illum ab amplectenda Catholica veritate abſtrahere putavit. De hac vero epiſtola cum judicium exquiſiviſſet doctiſſimorum Theologorum Michaelis Angeli Riccii, & Hieronymi Caſanaſtae, qui tum Romae maxime florebant, ab his laudes non mediocres reportavit, eorumque monitu quaedam etiam in ea meliora fecit. Sed non ſivit Deus, ut illa expugnaret animum hominis ceteroquin maximis clariſſimisque virtutibus praediti, de quibus multa mirabiliter & magnifice ſcripſit Laurentius principio ejuſdem epiſtolae. Tanta vero erat in eodem magnarum rerum, atque artium ſcientia, ut Laurentius ipſum judicaverit totius Angliae doctiſſimum; nec ſatiari unquam potuerit ejus ſcripta legendo, inter quae opus *de Seraphico amore* magna ex parte in Etruſcum ſermonem ex Britannico convertit. Magna extat copia epiſtolarum, quibus Magalottus Ferdinandum II. certiorem faciebat de omni eo, quod in itinere accidebat; ex quibus profecto

intelligi poteſt fuiſſe hominem ſingulari prudentia, praeclara eruditione atque doctrina, & excellente ingenii magnitudine. Interdum etiam litteras dabat ad Leopoldum Principem hilaritatis & facetiarum plenas, ut judicari ex ea poteſt, in qua feſtive ſane Hiſpanorum mores & inſcitiam pingit, quamque nos edidimus in I. epiſtolarum clarorum virorum volumine. Ipſa deſcriptio itineris, quae pluribus in voluminibus continetur, ſatis declarat nihil indiligenter a Magalotto factum, & plane eum ſatisfeciſſe Principis, quem comitabatur, voluntati. Oſtendit hic quidem univerſae Europae eam eſſe naturam Mediceorum Principum, ut gloriam quaererent non, ut plerumque accidit, in vexandis bello finitimis, in crudelitate exercenda, & injuria inferenda, ſed in fovendis praeclaris diſciplinis & artibus, in excitandis liberalitate & diligentia hominibus ad laborem & laudem; quamobrem cum ad caelum efferretur Coſmus, nemo dubitabat quin Magalotti praeſertim conſiliis obtemperans praeſtantiſſimum & ſingularem Principem ſeſe eſſet praebiturus. Acceſſit ille quidem non multo poſt ad imperii gubernacu-

lum; & quanquam non alienum dignitati ſuae putaret eſſe, quod ipſi Agamemnoni regum regi fuit honeſtum, habere aliquem in conſiliis capiundis Neſtorem, perpauca tamen ad Magalottum detulit. Ipſum quidem miſit ad Ferdinandum Carolum Mantuae Ducem, non ſolum ut illi fauſta & felicia omnia precaretur ob conjugium cum Anna Iſabella e Guaſtallae Ducibus, ſed etiam ut cum eo de quibuſdam rebus ſuis graviſſimis ageret. Quo expleto mandato, coepit Laurentius, ut erat honorum cupidiſſimus, majora cogitare, nulla non prece ſollicitans Principem ad legationem ſibi dandam vel ad Caeſarem, vel ad Galliarum regem. Hac ſpe quod diutius teneretur, nihil non egit ut excitaret vel ſopitam, vel ſuſpicione aliqua retardatam erga ſe Principis voluntatem. Sed dum ſuſtineret magnam honorum expectationem, ſummo animi ſui angore praeficitur a Coſmo τῇ συναγωγῇ rerum naturalium, qua, curante praeſertim viro maximo & ſpectatiſſimo Nicolao Stenone, Magnus Dux Ferdinandus ſuas aedes ornaverat. Reliquit hanc curationem Steno, quia ad Danos populares ſuos Rex illum re-

ducem eſſe voluit. Sed qui ab iis venerat Heterodoxus, rediit Orthodoxus; quam religionis converſionem non mediocriter adjuvit conſilium, atque opera Magalotti, in cujus familiaritatem Steno penitus ſeſe dederat. Credibile autem eſt Laurentium, cui in naturae contemplatione a pueritia plurimum ſtudii fuerat & temporis, cumulate ſatisfeciſſe muneri ſuo. Eodem tempore exercebat quoque ſtudia antiquitatis, & prae omnibus, quibus ad eam rem uſus eſt ſcriptoribus, amavit Triſtanum, cujus ſingulare acumen in interpretandis numiſmatum exergis non ſatis ſe admirari poſſe dicebat. Sed acceptis quibuſdam domeſticis calamitatibus, a contentionibus, quibus ſummis uti ſolebat in ſtudiis doctrinae, non parum relaxavit. Patrem habuerat, non eum quidem ſuarum rerum & attentum, & prudentem patremfamilias; cumque hereditatem illius non adiiſſet, bona ſua repetere ac perſequi lite & judicio debuit a paternis creditoribus. Quod ſi fuit huic malo aliquod levamen, id fuit in amore cariſſimae matris, quae ſummo in honore & pretio erat apud omnes, & apud Mediceos Principes praeſertim, quorum in aula ampliſſimum

mum tenebat locum. Sed hanc quoque ei mors an. MDCLXXI. eripuit; quo caſu ſe non modo afflictum, & ſed dolore confectum fuiſſe amico cuidam declaravit. Poſt illius interitum coepit a fratribus, quos duos habebat, de domeſticis rebus diffidere; & ad declinanda majora diſſidia patria, Italiaque cedere conſtituit. Accidit ei opportunum, quod ille ſuus amicus, & tanquam alter idem Octavius Falconerius ad Belgas hoc tempore proficiſcebatur, ut munus apud eos Pontifici Internuncii, ſi hoc verbo uti poſſumus, ſuſtineret. Ad eum igitur ſeſe junxit Laurentius, cujus profectionis quanquam non fuerit ſuaſor, approbator certe fuit Coſmus III. Uſui enim fore rebus ſuis Magalotti in Belgio commorationem non dubitabat. Porro ab eo ſingulis hebdomadis doceri volebat de rebus publicis (bello enim ardebant Hollandia, aliaeque finitimae Provinciae) aliquando etiam ei mandata dedit, quae per ſe, vel per amicos, quos multos & illuſtres habebat, curaret. Cumque exeunte anno MDCLXXIII. Coloniae Agrippinae conventus haberetur ad pacem conciliandam, huic ſuo nomine adeſſe Laurentium

juſſit. Magnum opus, magnique conſilii eſſe videbatur pacem componere inter bellicolas nationes. Sed qui hujus procurandae rei cauſſa convenerant, ſex integris menſibus, quibus eo loci fuerunt, vix ſemel de re publica collocuti ſunt, cum omnia menſa, venatio, ſaltatio, ſcena, aliaque oblectamenta occupaſſent. Pax tamen confecta eſt; neque quiſquam fortaſſe fuit, qui in tanti momenti negotio expediendo plurimum conſumptum fuiſſe & laboris & temporis non judicaverit; adeo ſaepe hominum judicia ſpecie rerum decipiuntur. Confecta pace, facile Laurentius impetravit a Magno Duce, ut Daniae & Sveciae regna viſeret; qua in peregrinatione multa obſervavit atque collegit, quae pertinent ad declaranda ſtudia, mores, omnemque vitae rationem incolarum, leges, quibus illi reguntur, ſitus locorum, caelique naturam. In perdiſcenda vero Svecica lingua haud pauca notavit, e quibus bene originem duci putavit verborum quorumdam Italorum; unde eos errare dicebat, qui etymon omnium vocabulorum, quibus nos Itali utimur, quaerunt ſemper vel in Graecia, vel in Latio.

quin unquam adeant Septentrionales regiones. Quibus in regionibus diu commorari meditabatur Laurentius, cum ſua ſponte, tum invitatu hominis amantiſſimi Nicolai Stenonis, cujus jucundiſſima conſuetudine eo tempore, quo Hafniae fuit, ſic uſus eſt, ut prorſus una viveret, nec fere ab illo unquam diſcedere. Sed repente eum in patriam redire juſſit Coſmus Magnus Dux; quae revocatio, cujus cauſſam ignorabat Laurentius, incredibilem ei attulit dolorem. Cum Florentiam igitur ſumma celeritate ſub finem an. MDCLXXIV. veniſſet, intellexit ſe deſtinatum fuiſſe Legatum ad Caeſarem, quod illi plane moerorem omnem abſterſit. Conſumpſit hyemem inſequentis anni in apparando itinere, aliiſque rebus, quas nova dignitas flagitabat. Ineunte autem vere Viennam ſe contulit, ibique exceptus honorifice, quod multa ac praeclara de eo fama nuntiaverat. Non paucos, qui virtutis, honorum, & generis ſummam nobilitatem habebant, brevi ſibi conciliavit: inſinuavit etiam ſe penitus in benevolentiam Imperatricis; nullumque ſuum dictum, aut factum pro Magno Duce interceſſit, quod

Leopoldus Caeſar non illuſtri gratia exceperit. In deprecandis quoque amicorum periculis, vel in eorum fortunis, honoribuſque provehendis, ſaepe cognitum eſt, quantum gratia, auctoritateque Magalottus valeret. Sed cum continuis fere afflictaretur valetudinis incommodis, ac praeſertim ophthalmia, cepit illum taedium commorationis Viennenſis; ad quod levandum hortos in ſuburbiis conduxit, ibique frequenter cum manſuetioribus muſis habitabat. Illud etiam querebatur, quod Magnus Dux videretur reprehendere, & ſubaccuſare ejus largitatem; quodque nimium Quaeſtores cunctarentur in perſolvendis ſibi penſionibus, iiſque pecuniae ſummis, quas Principi expenſas ferebat. Cum ad ceteras moleſtias illa quoque adjuncta fuiſſet, quod graviter Florentiae aegrotaret Ludovicus frater, repente, & ne venia quidem a Magno Duce impetrata, in patriam reverſus eſt Laurentius exeunte vere an. MDCLXXVIII. Hoc eodem tempore nuntius Florentiam affertur, Laurentium toto animo cogitare de ducenda uxore principe quadam femina cognomento Pia. Egerat ipſe per ſe, & molitus aliquid erat de

hac re, priuſquam Vienna, ubi ſolitus fuerat frequentare domum illius primariae feminae, proficiſceretur. Sed ut intellexit id diſplicere Magno Duci, ſuſceptam cogitationem abjecit. Is longius ductum iri exiſtimans morbum fratris (hydrope enim laborabat) Viennam remigrare ad ſuum munus deſtinavit. Sed obſtitit Magnus Dux, qui retinendum apud ſe magni conſilii, & altae mentis hominem putavit. Itaque & gradum honoris in ſua aula, & ſedem in ſuis aedibus, & annuum ſtipendium ſexcentorum centuſſium eidem aſſignavit. Viennam vero legavit Petrum Antonium Gerinium, qui quod gratiſſimus ea in civitate fuerit, commendationi in primis Magalotti ſe debere confeſſus eſt. Alias quoque, neque obſcuras declarationes dedit Coſmus opinionis ſuae de Magalotti prudentia ac fide. Sed cum ex omnibus partibus Principis amor minime ſe Laurentio oſtenderet, id ei erat moleſtiſſimum. Qua in re non ſatis ſe videre oſtendebat, illam laudem ſapientiae eſſe maximam, non aliunde pendere, nec extrinſecus tranquille vivendi ſuſpenſas habere rationes, praeſertim cum idem haberet ſolatia,

quibus ſe ſuſtentaret, optimae mentis conſcientiam, maximarum rerum gloriam, & optimarum artium ſcientiam. Luxit etiam mortem fratris, quam obivit menſe Novembri anno MDCLXXIX. & acrem doloris morſum in eo fuiſſe ſatis declarant epiſtolae plenae querelarum & luctus, quas hoc tempore ad amicos dedit. Solus cum ſuſtinere deberet onus domeſticarum rerum (nam qui ſupererat frater Alexander Neapoli commorabatur) de levando ſibi hoc moleſto onere cogitavit. Egit igitur ſemel iterumque de ducenda uxore; egitque primo cum Olinda Piccolominea, deinde cum Portia Romulia feminis primariis, & viro non ſolum maturis, ſed etiam aſſuetis, cum harum utraque matrimonio antea juncta fuiſſet, liberoſque ſuſcepiſſet. Sed ne res conficeretur variae obſtiterunt difficultates. Magnam tamen Laurentio praebebant levationem ac perfugium humaniora ſtudia, quibus indulgebat praeſertim, cum ſe de aula & urbe, tanquam ex vinculis, in otium ſolitudinemque conferret. Anno MDCLXXXIV. odas XV. Italicas condidit, quibus pingit formam quamdam mulieris nobilitate inſignis,

eximiaque pulchritudine, neque tam corporis, quam animi bonis omnibus praeditae, quid illa agat, ut ſe oblectet, quibuſque induatur ornamentis. Non hanc reperiri poſſe in natura putavit Laurentius, quapropter inſcripſit libellum hunc carminum, *La donna immaginaria*; in qua muliere exprimenda tantam magnitudinem, varietatem, novitatem, multitudinemque colorum adhibuit, ut ſi dilatarentur, ac ſpargerentur, quae idem uno libello collegit, contraxitque cogitata, multorum poſſent poetarum condire volumina. Sed dum nimium veritati rerum ſervire voluit Poeta, haud potuit libere vagari poetico ſtylo, & efficere, ut delicate & molliter verſus fluerent; ipſaque copia rerum eam ſaepe obſcuritatem affert, ut vel ipſe Auctor in his ſuis legendis odis aliquot annos poſtquam eas compoſuerat, non ſemel haeſiſſe confeſſus ſit. Utitur etiam interdum verbis novis, noviſque dicendi modis; quod condonandum eſt poetae, qui res non antea dictas, & quae recentiſſime in uſu, atque mulierum more verſabantur, exprimere ſibi propoſuit. Ceterum qui has ipſas odas contemplatur, nun-

quam ſatis admirari poteſt in Magalotto acumen ingenii, & magnarum rerum ſcientiam, quod judicium fecerunt quoque ſummi poetae Franciſcus Redius, Vincentius a Filicaja & Paullus Falconerius, quos in primis habere voluit ſuorum carminum Ariſtarchos. Sed praeſertim excellentem eruditionem, atque doctrinam oſtendit Laurentius in triginta novem epiſtolis, quas ad amicum ſcripſit, ut ei probaret Deum eſſe, ſeu potius ut dilueret omnia, quae adverſus hanc veritatem objici ſolent argumenta. Non dubitat neminem, aut perpaucos eſſe, qui veri ſint athei: hos Deum negare, quia illum peccatorum vindicem metuunt & oderunt, aut quod ipſum intelligere ſe poſſe deſperant. Quod omnium gentium generumque hominibus perſuaſum ſemper fuerit Deum eſſe aliquem, id ſatis magnum argumentum cenſeri debere dicit ad convincendos atheos: ritus ac caeremonias Chriſtianae, ac praeſertim Catholicae religionis ſanctiſſime tuendas, neque in eis quidquam eſſe, quod minus pietatem redoleat. De ortu mundi diſſerens non repugnat eſſe quaedam, perquam obſcura in

principio Geneſis, ubi Moyſes hiſtoriam creationis mundi narravit, maxime tamen convenire ad humanae rationi philoſophiam Moſaycam: acute explicat quomodo dici potuerit, uno eodemque loco originem habuiſſe Tigrim, Euphratem, Gangem, & Nilum: probat Democriti corpuſcula haud eſſe rerum naturale principium; neque ex concurſu fortuito materiae effectum fuiſſe caelum & terram: ipſam materiem, ipſumque mundum aliquo a principio, id eſt a Deo, minime vero ex aeterno tempore intelligi debere: convincit neceſſe eſſe, eos turpiſſime labi in rerum divinarum opinione, qui illas ſe aſſequi arbitrantur, duce & magiſtra philoſophia; qua occaſione prudenter diſſerit de diverſis philoſophorum ſectis, eorumque uſu in theologia. Oſtendit demum, & quidem ſubtiliter, rationis expertes eſſe homines illos, qui rationem, ceteraque, quae ſunt propria ſpiritus, ineſſe in materia poſſe ſibi fingunt. Et haec quidem in prima parte operis. In ſecunda autem hoc primum vult perſuadere auctor, haud eſſe ſane quod athei ſigna & miracula requirant, ex quibus probetur Deum

eſſe, cum tota, aut magna vis eorum ſita ſit in Fide: quare hujus Fidei expertes illa ſemper eluſuros eſſe ad arbitrium libidinemque ſuam; deinde exquiſitis rationibus evincit, quae de Chriſto multis ante ſaeculis praeſenſa & praedicta vere fuerant, totam illius vitam, leges, inſtituta, clariſſima eſſe ipſius divinitatis argumenta. Quae quidem omnia, quanquam non ita tractentur, ut continuatio quaedam, ſerieſque rerum appareat, neque una ex altera naſcatur epiſtola, omneſque inter ſe colligatae ſint, hae tamen continent quaſi theſauros rerum divinarum, ad quas explicandas non ſolum adhibuit Laurentius genus orationis ſolidum, ſaepe illuminatum translatis verbis, & cum dignitate elegans, ſed etiam copiam ſententiarum, & ἀποφθεγμάτων, narrationes rerum geſtarum, crebras ſimilitudines, comparationes, exempla, auctoritateſque graviſſimorum ſcriptorum. Profecto tanta cognitio rerum, quae ad theologiam pertinent, non admodum expectabatur a Magalotto, qui totam vitam in aliis ſtudiorum generibus conſumpſiſſe videbatur. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo

potuit, hanc quoque laudem ceteris adjungere; neque illam mediocrem fuiſſe oportet, cum vir eruditione praeſtans Petrus Franciſcus Toccius Laurentianae Florentinae Baſilicae Canonicus non dubitaverit affirmare in vita Vincentii Vivianii, nihil & ſua & patrum memoria vidiſſe Italiam, quod pertineret ad convincendos atheos, quod cum Magalotti epiſtolis comparari poſſet. Quarum epiſtolarum fama cum ad multos ſtatim pervaſiſſet, invito quidem auctore, qui eas occultare volebat, non potuit hic ipſarum lectionem negare quibuſdam intimis amicis ſuis. Fuit inter hos Ieſuita Franciſcus Raſponius, qui nimium invidens laudi & gloriae Magalotti, hanc ei eripere, veteris oblitus amicitiae, cogitavit. Dialogum enim ſcripſit totum ferme compactum verbis & rebus, quas ex iiſdem epiſtolis ſumpſit; & edidiſſet quoque in vulgus, niſi re comperta, illius impudentiam opportune repreſſiſſet Laurentius. Quo obtento, culpam violatae fidei reo libenter condonavit, quod magni animi eſſe cenſebat injurias oblivisci. Neque illud leve reconciliatae gratiae argumentum, quod eumdem rure ſuo ſubur-

bano, ubi magnam anni partem degebat, humaniſſime receperit, & cenſorem epiſtolarum una cum Petro Pinotio Monacho Ciſtercienſi, aliiſque doctis viris habere voluerit. Hae autem epiſtolae etſi utiliſſimae & ſalutares fore hominibus viderentur, non minorem tamen utilitatis fructum iiſdem ſe allaturum putavit Laurentius, ſi libro exponeret artem inſtituendi Principem, regendique populos pie, juſte ac prudenter. Dè quo opere, quod inſcripſit: *La concordia della Religione e del Principato*, factum eſt ab eo diligenter, multumque ipſum in manibus habuit. Etenim non communia & contrita praecepta tradere volebat, ſed e media ſumpta philoſophia ac politica, quae haberent ordinem, & quaſdam in adminiſtratione Reipublicae errare non patientes vias. Quod idem opus, poſtquam magna ex parte abſolviſſet, facti neſcio qua de cauſſa poenitens in ignem conjecit. Ejuſdem tamen ſuperfuit ſylva quaedam rerum & ſententiarum, ex qua apparet eum egiſſe primo de religione & juſtitia, deinde modum docuiſſe parandi ſibi fidos atque optimos amicos, ſervos, & adminiſtratores,

veroſque a falſis dignoſcendi, & explicaſſe ſi-
cuti ſe gerere debeat Princeps cum pauperi-
bus, delatoribus, criminum ac praeſertim
privatorum reis, nobilitate, & plebe; ut be-
nevolentiam, & timorem ſibi conciliare, li-
beros educare, publica ſpectacula moderari,
bellum adminiſtrare, fines imperii propagare,
commercium augere, & non ſolum domeſti-
cas, verum etiam externas res ſagaciter in-
dagare queat. Eodem tempore, quo haec ſcri-
bebat Laurentius, habuit familiaria negotia,
ſane moleſta, ad quae incumberet, quo-
rum cauſſa debuit Romam, & Neapolim,
ubi frater illius Alexander degebat, advolare.
Mortuo vero eodem fratre, quod fuit anno
MDCLXXXVII. menſe Novembri, Romam re-
diit, ut illatam litem a Savellis & Urſinis
in partem hereditatis, quae ſibi venerat a
Cardinali Laurentio Magalotto propinquo ſuo,
praeſens propulſaret. Diſceptare quoque de-
buit cum Quaeſtoribus Pontificiis cauſſa ſpo-
liorum, quae frater, cui duo ſatis ampla
ſacerdotia fuerant, reliquerat. Explicatis ma-
gna ex parte his negotiis, cogitavit ſedem
ac domicilium collocare in ipſa Urbe, nomen-

que dare aut Clericali, aut Hieroſolymitanorum equitum militiae. Verum hortatu Aloyſii Oricellarii, Philippi Martellii, aliorumque amicorum propoſitum mutavit. Florentiam igitur autumno anni MDCLXXXIX. remigravit; eodemque ferme tempore factus fuit a Conſiliis Magni Ducis. Ab hoc etiam adhibebatur ad alias res, in primis ad excipiendos, ſociandoſque dignitate illuſtres homines, qui Florentiam adveniebant; parumque abfuit, quin mitteretur in Hiſpaniam, ut conciliator eſſet matrimonii inter Carolum II. Regem, & Annam Mariam Ludovicam ejuſdem Magni Ducis filiam. Curaſſet profecto Laurentius mandatum diligenter dextereque, adeo ut non ſine cauſſa plerique contrarium rei exitum tribuerint mutationi conſilii, quam fecit Coſmus, cum Marchionem Caſtilioneum elegiſſet, cui illud oneris committeret. At praeſertim fidem, prudentiam, officia, obſervantiamque Laurentii diligebat Cardinalis Franciſcus Maria Mediceus; & incredibile eſt quam ejus congreſſus, ſermoneſque ſapientiae plenos optaret: cum vero ab urbe abeſſet, nulla fere hebdomada intercedebat, qua non ad eum ſcri-

beret, & modo aliquid de rebus publicis ab eo requirens, modo aliquam eruditam quaeſtionem proponens ejus verboſiores eliceret epiſtolas. Factum ejus conſilio, ut de Leopoldi Cardinalis laudibus pauca quaedam ſcriberet Laurentius, ex quibus magna, praeclara, ac pene divina illius immortalis viri in omnes nobiliores artes ac diſciplinas merita cognoſcere poſſumus. Interdum etiam accipiebat ab eo hendecaſyllabos, quibus deſcribebat aliquid modo jocoſe, modo ſerio, modo preſſius, modo elatius, cum ipſa varietate tentaret efficere, ut alia aliis, quaedam fortaſſe omnibus placerent. Omnino nihil non indulgebat Laurentius voluntati Principis, qui nihil a ſe ſecretum non joculare, non ſerium, non triſte, non laetum eſſe volebat. Quae quidem, quamvis honorificentiſſima, ſeu quod contemnere didiciſſet Laurentius, ſeu quod majora, ut multi ſuſpicionibus judicarunt, concupiſceret, expectaretque a Romano Pontifice, ſeu quod deſiderio aeſtuaret obligandi ſe ſacrae militiae ſacramento, a qua non ſuam voluntatem, ſed ſuas vitae rationes ab ineunte fere aetate ſuſce-

ptas ſe prohibuiſſe dicebat, Romam venit ineunte Martio an. MDCXCI. & in collegium Sacerdotum a S. Philippo Nerio inſtitutum cooptari voluit. Pervulgata & percelebrata ſermonibus illico res fuit non ſolum in Italia, ſed etiam apud exteras cultiores gentes quibus notiſſimus erat Magalottus; deque ea ceteros inter ſcripſit Leibnitius in epiſtola quadam ad amicum, negans id conſilii ſe probare poſſe in altae mentis, ſummaeque prudentiae homine. Probavit certe Magnus Dux Coſmus; utque intellexit multa inveniſſe Laurentium in novo vitae genere, quae illius natura pati omnino non poterat, ipſum per litteras hortari non ceſſavit, ut coſtantia impedimenta ſuperaret, & in repugnantia tot rerum, animique angore dolos, machinas, & praeſtigias communis hoſtis agnoſceret. Nihil haec conſilia levabant Laurentium, cujus animus majoribus quotidie exedebatur curis. Itaque ne diutius miſerrimam vitam degeret, ad priſtinum ſuum ſtatum quinque poſt menſes tyrocinii rediit. Quod ſi datum eſt iis, qui ab itinere ſibi a Deo aſſignato melioris boni ſpecie paullum deerraverunt, corrigere

erro-

errorem poenitendo, omnem profecto inconſtantiae maculam eluit Laurentius, in quo tanta vis fuit poenitendi, ut miſericordiam commoveret. Roma contulit ſe ad villam ſuam, quam habebat loco montoſo & ſylveſtri ſeptimo a Florentia lapide, quo facilius ibi non ſolum conſuetudinem, ſed etiam aſpectum hominum vitaret; tantuſque erat in illo ſolitudinis deſiderium, ut in tenebris, tanquam in gurguſtio, habitare optaſſet. Non potuit tamen novem poſt menſes, quibus remotus ab omnium oculis vixerat, recuſare Magno Duci, quin Florentiam ad eum veniret; cumque & benigne exceptus, & in priſtino dignitatis loco repoſitus ab illo fuiſſet, ſenſit ſe aliquantulum acerbiſſima aegritudine ſua levari. Non mediocre quoque levamentum reperiebat in ſtudiis ſuis, quae colebat praeſertim ruri dum eſſet. Erat autem quantum patiebantur munus ſuum, & officia, quae Principi praeſtabat. Studium philoſophiae jamdiu intermiſſum revocare cogitavit; eaque propter iterum ſumpſit in manus ab adoleſcentia inchoatum opus de naturalibus quaeſtionibus; ſed brevi illius abſolvendi ſtu-

dium depoſuit. Hoc opus quale futurum eſſet facile exiſtimabit is, qui leget volumen illud, cui titulus: *Lettere ſcientifiche ed erudite del Co. Magalotti*, quodque an. MDCCXXI. in lucem edidit Thomas Bonaventurius. Sunt enim in eo epiſtolarum volumine haud pauca, quae ad eaſdem naturales quaeſtiones pertinent, qualia ſunt illa, quae ſummam frigoris poteſtatem explicant; quae repetunt a diverſa ſalium natura & figura, quibus vina, aliaque corpora ſunt praedita, quoſdam ſanguinis aeſtus; quae rationem reddunt ſi non vere, ſane ingenioſe, motus corporum gravium, & lucis; quae cum elegantiſſime, tum acute exponunt illud Galilaei effatum, nulla re alia vinum componi, niſi luce & humore, quod vidiſſe etiam Dantem exiſtimo; & quae verſantur in inveſtigatione unde fiat, quod facilius ab odoratu, quam a ceteris ſenſibus decipiamur. Quidquid ſcripſit de odoribus Magalottus, profecto ita ſcripſit, ut ſe percupidum eorum, & cujuſvis ferme generis & intelligentem, & copioſum oſtenderet; adeoque extulit odorum ſcientiam, ut affirmare videretur, multa in ea reperiri politices; at-

que ethices ſemina, haſque facultates maximam habere ſimilitudinem inter ſe. Ad res naturales, quae in memorato epiſtolarum volumine continentur, referri etiam debent obſervationes habitae an. MDCLXIII. coram Magno Duce Ferdinando, quibus probatur, viperas habere venenum in vaginis quibuſdam, quae dentes tegunt; & quae demum rationem reddunt, quare diu aciem oculorum intendenti in cometam, qui apparuerat anno MDCLXIV. hic non amplius radiatus cerneretur, iterum vero cerneretur, ſi palpebrae moverentur. At quae hoc loco attigit Magalottus de theoria cometarum, nequaquam conſentiunt cum iis, quae tradidit Joannes Dominicus Caſſinius, cujus ſententiam una voce & conſenſu tum approbarunt Aſtronomi. Accedunt ad pretium ejuſdem voluminis elegans deſcriptio, quam Laurentius fecit ſui Lonchiani ruris, in quo imitari voluit exemplum C. Plinii Secundi, S. Baſilii, aliorumque veterum ſcriptorum; enodationes locorum quorumdam Tertulliani, S. Auguſtini, & Synodi II. Nicenae, nec non explicatio argumenti ſatis probabiliter oſtendentis ex amore, quo multi feruntur in bau-

ta, haec anima praedita eſſe. At qui talia, & majora etiam ex ſe gignere poterat, non dubitavit tamen, quod mireris, ad occupationem deſcendere convertendi aliorum ſcripta in Italicum ſermonem; tamque multa & varia convertit iis temporibus, quibus [illegible] abdiderat ſe, ut hac re maxime videretur delectari. Fecit Italica, ut praecipua commemorem, opuſcula haud pauca Sancti Euremondi, in quibus, ut & in ceteris praeclari illius viri ſcriptis, admirabatur praeſtantiam judicii, magnitudinem cognitionis, & genus orationis totum ſplendens & ſententiis & verbis. Non ſemel ego notavi ex iiſdem ſcriptis totidem ferme verbis tranſtuliſſe Magalottum in ſua illuſtriores ſententias; & ut ſe aequaret Sancto Euremondo, ſcribens ad amicos modo de animi fortitudine, quae aequaliter omnibus hominibus eſt diſtributa, modo de aliis rebus, quae in diſceptationem quaeſtionemque vocarentur, tractavit. Expreſſit de Anglico Italicis verſibus, quos ſolutos appellamus, partem poematis, quod de amiſſo Paradiſo fecit Miltonius, & poemata hujus aemuli & imitatoris Joannis Philipſii, quae inſcribuntur *il Si-*

dro, & *lo Scelino lampante*, alterumque poema ab Edmundo Walerio conditum de certamine Bermudarum. Sunt in manibus quae ex eadem Anglica lingua in Italicam convertit de Nilo, ejuſque alluvionibus, de rariſſimis quibuſdam avibus, de Imperatore Abyſſinorum, de mari Rubro, de palma, ejuſque utilitate atque cultu. Vertit etiam nonnulla ex Arabo, Syriaco, Turcico, Hiſpanico, Gallico, & Luſitano ſermone, quorum pleraque ornant volumen, cui titulus: *Canzonette anacreontiche di Lindoro Elateo*, quod nomen erat Magalotto apud Arcades. Quoniam autem mentionem fecimus hujus voluminis carminum, admonendos lectores putamus, nihil in illo eſſe quod venuſtate non affluat, & imaginibus agentibus & inſignitis; neque ſatis quempiam admirari poſſe varietatem, novitatemque rerum, quas coloribus poeticis pingendas Auctor ſuſcepit. Extant quoque in eodem volumine carmina quaedam dithyrambica de vaſis illis fictilibus Americanis, quae aſperſa aqua terram olent, quaeque *Buccheri* appellamus. Porro ita meritus eſt Laurentius de hoc vaſorum genere, ut

non contentus ſuis illa carminibus celebraſſe; obtinuerit etiam ab illuſtrioribus Italis poetis amicis ſuis, ut eorumdem laudes canerent. Qua in re non tam ſatisfecit ſuo in odores amori, inter quos jam ab antiquiſſimis temporibus, ut Cicero & Plinius teſtantur, ſummo in pretio fuerunt, qui terram ſapiunt, quam voluntati lectiſſimae feminae Octaviae Stroctiae. Hujus rogatu ſcripſit etiam octo epiſtolas ſane longas, plenaſque leporis & feſtivitatis, quibus omnia, quae vel per ſe, vel per amicos fide dignos de *Buccheris* ſcire potuerat, expoſuit, notans nominis etymon, illorum diverſa genera, uſum cum apud Americanos, tum apud Europaeos, ſive is pertineat ad privatum & publicum luxum, ſive ad medicinam, ſive ad ornamentum, ſive ad oblectationem; qua occaſione exponit, quid inter ſe differant populi Orientis & Occidentis ſenſu & ſtudio odorum. Neque illud eſt praetereundum, Magalottum omnium primum ex Hiſpania in Italiam traduxiſſe uſum *Buccherorum* tum ad voluptatem odoratus, tum ad ornatum cubiculorum; a quo tamen uſu jamdiu faſtidio quodam & ſatietate abalienati ſumus. Poſt-

quam volumen illud epiſtolarum de *Buccheris* Romam miſerat Laurentius ad Octaviam Strocтiam, laboris ſui illum vehementer poenituit; quod diceret, has ineptias haud dignas eſſe provecta aetate ſua, ac dignitatis gradu, quem obtinebat. Tum optime ſe collocare operam judicabat, cum Magno Duci, quod non ſemel accidit, de augendo in Etruria commercio conſulenti reſponderet; cum inſtrueret aut voce, aut ſcripto quos idem Magnus Dux ad Europae Principes legatos deſignabat; & cum vel coram amicis, vel per epiſtolas locos graves ex theologia tractaret. Inter ceteras hujus generis epiſtolas illa commemoranda in primis videtur, quam ad Franciſcum Froſinum Archiepiſcopum Piſarum dedit, in qua hanc Algeri Cluniacenſis ſententiam explicandam ſuſcepit: *Sed quomodo* (ait ille) *impoſſibile videtur, ut caro Verbi Dei, quae multo ſpiritualior, & potentior eſt verbo noſtro, ſit tota, & integra in ore omnium ſumentium; cum verbum noſtrum unum idemque totum & integrum ſit in auribus omnium audientium?* Magnum quoque operae & laboris fructum ſe colligere putabat, cum amicis prodeſſet. Quare

minime eſt mirandum, ſi ſaepe occupabatur in illorum ſcriptis virgula cenſoria notandis; quod officium praeſtitit, ceteros inter, Franciſco Redio, Vincentio Filicajae, Laurentio Bellinio & Gabrieli Faſanio in iis rebus, quas verſibus mandarunt, Philippo Corſinio in ea, quam fecit Mexicanae hiſtoriae Italica interpretatione, & Seraphino Franciſco Regnerio Gallo, cum hic Italicis carminibus reddidiſſet Anacreontem, & Homeri Iliadem. Suſpicor etiam Mariam Selvagiam Borghiniam auxilium haud mediocre habuiſſe a Magalotto in difficillimo, quod ſuſceperat, exequendo munere transferendi in Italicam linguam Tertulliani opera, quae idem ſcripſit antequam Montani haereſi inficeretur. Nec minus faciles in ſe expertus eſt amicos, cum eorum cenſorium judicium de ſcriptis ſuis exquireret. Quae quidem ſocietas & communicatio utilitatum fuit ſemper propria ſapientum virorum, qui & reprehendi, & reprehendere libere & amice nunquam recuſare ſolent. Tanta autem vis erat amicitiae in Magalotto, ut non ſolum ingenii, ſed etiam rei familiaris facultates ad amicorum ſubſidium paratas haberet; nec

facile invenias, qui illo magis in amicitiis conciliandis, colendiſque excelluerit. Et ſi quando cauſſae ſuſpicionum offenſionumque datae ſunt, aut eas vitabat, aut elevabat, aut patienter ferebat. Bis accidit, ut reprehenderetur a Falconeriis fratribus, quaſi deſciviſſet ab officio amicitiae, quod eos participes non fecerat quorumdam negotiorum, quae taciturnitati ſuae concredita fuerant; ſed ita ſe illis purgavit per litteras, ut in his clariſſima fidei, probitatis, & virtutis ſuae teſtimonia reliquerit. Sic cum ſe gereret, facile illud aſſequebatur, ut veterrimas retineret amicitias, quas, ut ea vina, quae vetuſtatem ferunt, ſuaviores eſſe dicebat. Poſſem hoc loco enumerare illuſtriores ejuſdem amicos: ſed id nimis longum, atque adeo etiam injucundum foret. Cum quidem ille multas Provincias peragraſſet, ubique, ac praeſertim in Anglia, & Gallia amantiſſimos ſui reliquit, a quibus & praeſens, & abſens ſingularibus affectus fuit honoribus. Saepe etiam accidit, ut qui ne de facie quidem noverant Laurentium, moti celebritate nominis, ipſius amicitiam appeterent, quos minime repudiabat;

ſi ſpes erat fore, ut tanquam herbae non fallaces, fructus laetos & uberes eſſent allaturi. Horum in numero fuit Joannes Sommerſius Anglus, vir multis nominibus ſpectatiſſimus; cujus officiis retulit acceptum Laurentius; quod an. MDCCVII. cooptatus fuerit in Regiam Londinenſem Societatem, a qua praeclara ſane, debitaque ejus doctrinae teſtimonia accepit. Plurimis quoque aliis officiis Sommerſius in perpetuum ſibi Magalottum devinxit. Crebris enim litteris amoris & obſervantiae plenis illum appellabat; ad omnia, quae ipſum velle arbitrabatur, ita praeſto erat, ut non alienam ſed ſuam rem agere videretur; eumdemque donavit etiam aliquando horologio opera mirabili confecto, quod donum plane regale reputatum eſt. At Magalottus, qui nullum officium referenda gratia magis eſſe neceſſarium videbat, & qui majore etiam menſura, ſi modo quis poſſet, reddere beneficia praecipiebat, neque amore, neque liberalitate ſe a Sommerſio vinci eſt paſſus. Sic communicatis animi ſenſibus, ultro & citro datis, acceptiſque beneficiis & muneribus, in his duobus viris illud effectum

eſt, ut aeque quiſque altero delectaretur, ac ſe ipſo. Nec mediocris eſt illa laus Magalotti, quod in Heterodoxorum amicitiis ita ſe gereret, ut nullam occaſionem porrigendi, ac tendendi iis lumen veritatis amitteret; illudque fuit poſtremum religioſi hominis opus, quod ſcripſit, ut amico perſuaderet, divina providentia factum fuiſſe, ut miracula, veluti inſignes verae Fidei notae, nullo non tempore apparuerint. Haud ſcio an quidquam fieri perfectius poſſit hoc commentariolo, quod tanquam ſuaviſſima cycnea vox proximum Laurentii interitum viſum eſt praenuntiaſſe. Aliquot jam erant menſes cum ille coeperat incommoda eſſe valetudine; vix ſomnum capere poterat; vires, quibus ſatis firmis, ingraveſcente etiam aetate, uſus fuerat, multum ipſum defecerant; & interdum anhelans ex imis pulmonibus aegre ſpiritum ducebat. Namque tabes ipſos pulmones infecerat; cumque remedia nulla fuiſſent, vi morbi conſumptus eſt Magalottus poſtridie Kal. Mart. an. MDCCXII., cum compleſſet quatuor & ſeptuaginta annos, menſes duos, dies ſeptemdecim. Fuit haec mors acerba patriae, in

qua ille florentiſſima multum omnibus gloria praeſtitit, luctuoſa amicis, & bonis omnibus, quibus ſuavitate ingenii & morum Laurentii frui licuit, gravis Italarum litterarum amatoribus, qui conqueri non ceſſarunt hujuſmodi caſu damnum irreparabile ipſas litteras feciſſe. Sepultus eſt ad S. Florentii in monumento majorum ſuorum. Scripſit heredem Hippolytum Venturium, quo neminem arctiore propinquitatis vinculo conjunctum habebat. Nam familia Magalotta, illuſtris illa quidem & pervetus, cujus nobilitatis graviſſima & certiſſima monumenta vel a ſaeculo XIII. repetuntur, extincta eſt morte Laurentii. Sed vigebit ejus nomen memoria aetatum omnium, praeſertim ob partam illi a Laurentio gloriam, cujus ſingularis doctrina & excellentes virtutes vel obſcuram potuiſſent illuſtrare familiam. Ex omnibus autem ipſius virtutibus eluxit in primis pietas adverſus Deum, cujus rei haec erunt teſtimonia. Nullum quamvis leve religionis perſolvebat officium, quin ex toto corporis habitu quidam animi ardor emicaret: precationes illas, quibus veteri Eccleſiae inſtituto ſacris initiati utuntur, quoti-

die recitabat: mirifice oblectabatur divinorum librorum lectione; & poſtremis, quibus vixit annis, in hoc praeſertim occupatus eſt, ut in Etruſcum ſermonem transferret aut Prophetarum cantica, aut Davidicos pſalmos, aut aliquod Sanctorum Patrum opuſculum, aut partem operum Sanctae Thereſiae, aliosque hujus generis libros ſive Latinos, ſive Hiſpanicos, ſive Gallicos agentes de rebus caeleſtibus, humanaque vita ſancte gubernanda. Obibat etiam octavo quoque die ſacra Confeſſionis & Euchariſtiae myſteria; & ſemel aut iterum in annos ſingulos ſe abdebat in religioſam domum, quam Florentiae incolunt Sacerdotes ii, qui *Congregationis Miſſionis* dicuntur, ut liberius Deo vacaret. Ex hac autem incenſa in Deum caritate egregius in homines amor redundabat, cui unice tribuenda ſunt multa, quae ſcripſit, ut errantes animos, quos miſerabilis Dei divinaeque legis ignoratio tenebat, ad veritatem traduceret. Fuit, ut alibi diximus, gloriae honorumque cupidus; quod animi vitium ut debellaret, & radicitus evelleret, viſus eſt interdum repueraſcere. Neque illud edomitae

ambitionis mediocre eſt indicium, quod hoc peccato, aliiſque, in quae incurrit, dum prima juventus efferbuit, graviter ſeſe accuſaret. In eo etiam gloriae cupiditatem continuit, quod non paſſus eſt ſua ſcripta, ſi ea excipias quae pertinent ad Academiam *del Cimento*, & pauca quaedam alia, in aſpectum hominum prodire; quodque multa eorum, quibus extrema manus jam acceſſerat, cremavit. Invitanti amico cuidam, ut exemplo Franciſci Redii, qui ſuum vulgaverat Dithyrambum, ipſe quoque ederet Eclogam dithyrambicam, quam condiderat de florum laudibus, cuique nomen impoſuerat *la Madreſelva*, reſpondit illis Statii verſibus:

. . . . . nec tu divinam Aeneida tenta,
Sed longe ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Quae quidem, aliaque multa, quae poſſem afferre, ſatis comprobant nihil a Magalotto abfuiſſe longius faſtu & arrogantia; quod vitium tum in ſe, tum in aliis, quanquam ei eſſet perſuaſum, nobis inter nos noſtra eſſe ſive vitia, ſive incommoda toleranda, pati minime poterat. Summam ei natura tribuerat gravitatem, confirmaverantque doctrina, ae-

tas, & ampliſſima, quibus functus eſt, munera; ſed illam ipſam tanta comitate facilitateque condiebat, ut homines non minus ad ſe diligendum, quam ad obſervandum allice-ret. Augebat gravitatem dignitas oris, in quo effictam majeſtatem dixiſſes. Non propterea tamen multa non erat, cum tempus poſceret, in eodem hilaritas; & delectabatur etiam interdum genere jocandi eleganti, urbano, ingenioſo, faceto: dicebat enim ſaepe accidere, ut plus profici poſſit lepore & facetiis (non enim vivimus cum perfectis hominibus) quam philoſophia. Sed praeſertim excelluit illo facetiarum genere, quod poſitum eſt in narratione aut fabellarum, aut rerum ex hiſtoria ſumptarum, quae ſimilitudinem faciunt. At ſive de jocoſis, ſive de ſeriis rebus loqueretur Magalottus, decorum ſemper ſervavit; quod mirabiliter etiam praeſtitit in aequalitate univerſae vitae, ſingularumque actionum. Nihil enim in eo diſſonum, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem. Liberalis, non prodigus; beneficus, minime vero gratiae exactor; prudens, non timidus; pectore candidus, non aſper & maledicus; doctus, non

glorioſus, aliorumque contemptor; philoſophus, ſed a triſti, & horrida ſapientia prorſus alienus. Elegans, ſplendiduſque omni diligentia munditiam, non mollitiem affectabat; omnibuſque rebus, quae ad vitae cultum pertinent, optimis uſus eſt. Domum habebat trans Arnum prope pontem Sanctae Trinitatis, cujus amoenitas conſtabat non laxitate, & magnificentia aedificii, quod tamen ſatis habebat ſalis, ſed ſilvula, horto floribus halante, picturis, & multa ſupellectili, non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis, & in omni re exquiſito judicio pollentis. Saepe autem cum ad prandium invitaret amicos hos non minus animo, quam ventre paſcebat, cum aut excitaret eruditas quaeſtiones, aut ſermones de rebus publicis induceret, aut legeret aliquid, aut viſa a ſe in diuturna peregrinatione narraret. Et amplam quidem ſegetem narrandi is habebat, qui fuit perſpicacia ſingulari, & incredibili in noſcendis hominum moribus, civitatumque, atque imperiorum fortunis, ac ſtatibus, neque minori diligentia in notandis. Ei rei ſunt indicio tria volumina, quae ſcripſit de quibus-

dam

dam regnis a ſe peragratis, in quibus etiam, ut vates, nonnulla futura praedixit, facile ut exiſtimari poſſit prudentiam eſſe divinationem. Minime igitur eſt mirandum, ſi ejus conſuetudo expeteretur ab omnibus; ſi ejus domus ſummorum hominum ſplendore celebraretur; ſi magna, & in primis gravis eſſet apud omnes ejus auctoritas, & multi ſaepe ab eo conſilia peterent. In explicandis autem cogitationibus ſuis, praeſertim ſi magnitudo rei poſtulabat, tantum eloquentia valebat, ut Suada ipſa, quemadmodum de Pericle ſcriptum eſt, in ejus labiis ſeſſitare videretur. Fuit aliquando, ut ſupra narravimus, oratio Magalotti tota pura, totaque Etruſca. Poſtquam autem idem multorum vidit mores, atque urbes, multaſque exteras didicit linguas, infuſit in illam aliquid peregrinitatis; eaque propter ſaepe reprehenſus eſt a civibus ſuis. Nihilo tamen minus vere contendere mihi poſſe videor illum retinuiſſe ſemper opimum quoddam, & quaſi adipatae dictionis genus; & in iis praeſertim quae ſcripſit cum eſſet aetate provectior, lucere orationem pompae plenam, illuſtrem, ſplendidam, ut habeat ſum-

mam ſpeciem, & dignitatem, prae ſe ferat, que, quod de Meſſala olim praedicatum eſt, Auctoris nobilitatem. Hanc autem laudem debuit in primis Magalottus rerum magnarum uſui, & matri illi omnium non ſolum bene factorum, ſed etiam bene dictorum philoſophiae, qua pectus ſuum oneraverat atque compleverat. Nullius philoſophorum diſciplinae ignarus fugit veteris auctoritatem, riſitque ſemper eos, qui unius diſciplinae legibus adſtricti, ſuumque minime adhibentes judicium, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Hinc in diſputando rationum tantummodo momenta quaerebat, acuteque expendebat; & in inveſtigatione naturae nullam aliam ducem, quam ſequeretur, praeter experientiam voluit. Non negabat tamen multa reperiri in Democraticorum, & Epicureorum libris, quae ſatis probabiliter rationem redderent quorumdam naturalium effectuum. Plurimum uſus eſt Platonicorum opinionibus in ſcribendis verſibus. In eo certe non ſe Platonis ſtudioſum oſtendit, quod averſiſſimis auribus fuerit a muſica. Dicebat etiam, idcirco quod multa ſint in Pla-

tonis libris, quae valde congruere videntur cum iis, quae Chriſtiana Religio tenet, ſaepe accidiſſe, ut non pauci ſpecie veri in errorem inducerentur. Unde illud in ore habebat ex Tertulliano: *doleo Platonem, cetera bonum, haereticorum omnium condimentarium factum.* E recentioribus philoſophis unum prae ceteris admirabatur Galilaeum; & beatos illos appellabat, quibus contigit cum eo verſari, illiuſque vocem ſapientiae plenam audire. De opinione autem doctrinae & virtutis, quam Magalottus habuit apud ſummos viros, quid plura commemorem? Prope infinitum eſſet, ſi colligere vellem ampliſſima teſtimonia, quae eidem tributa ſunt non ſolum ab Italis noſtris, ſed etiam ab illuſtrioribus alienigenis; ſatiſque erit dicere omnes uno ore conſenſiſſe, fuiſſe hominem quaſi divinum, undique ſpargentem lucem ac lumen ingenii virtutiſque ſuae. Hoc repraeſentat exergum numismatis, quod aeternae ejuſdem memoriae dicatum eſt, in quo exergo conſpicitur radiata Phoebi imago cum hac inſcriptione: OMNIA LUSTRAT. Haec quoque glorioſa fuerunt Magalotto, quod Franciſcus Redius, Lauren-

tius Bellinius, & Franciſcus Seraphinus Regnerius opera quaedam ſua illius nomini nuncuparunt; quodque Joſephus Averanius ipſum funebri oratione laudavit. Bene enim Cicero: *gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute.*

OPERA EDITA.

Saggi di naturali eſperienze fatte nell' Accademia del Cimento ſotto la protezione del Sereniſs. Principe Leopoldo di Toſcana, e deſcritte dal Segretario di eſſa Accademia. In Firenze per Giuſeppe Cocchini all' inſegna della Stella 1666. in fol. magno. Iterum opus hoc editum eſt Florentiae an. 1691. apud Joannem Philippum Cecchi in fol. Alibi quoque typis impreſſum eſt. Summum vero ejuſdem operis ornamentum reputari debet, quod clariſs. vir Petrus Muſchembroeckius illud ipſum notis illuſtravit. Pertinent etiam ad Academiam *del Cimento* quae Magalottus ſcripſit ad Octavium Falconerium ediditque an. 1664. de Saturno ejuſque annulo, aliiſque rebus phyſicis.

Lettera proemiale per la traduzione della Concordia dei quattro Evangeliſti di Gianſenio, ſtampata in Firenze ſotto il titolo di Specchio della vita di G. Criſto 1680.

Relazioni varie cavate da una traduzione Ingleſe dell' originale Portugheſe; del Nilo, e perchè il Nilo inondi e metta ſotto le campagne d' Egitto nei giorni del maggior caldo d' Europa; dell' Unicorno, e del paſſaggio della Fenice; dell' Uccello di Paradiſo, e del Pellicano; perchè l' Imperatore de-

gli Abiſſini ſi chiami comunemente il Prete Janni; del Mar Roſſo, e ſua denominazione; della Palma, ſue varietà, frutto, utilità e cultura. In Firenze preſſo Pietro Matini 1693. in 8.

Il mendicare abolito nella Città di Montealbano da un pubblico uſizio di carità, con la replica alle principali objezioni che potrebbono farſi contro queſto regolamento. Tradotto dal Franzeſe in Firenze 1693. appreſſo Gio. Filippo Cecchi in 8.

Relazione della China cavata da un ragionamento tenuto col Geſuita Graeber. In Firenze 1697. preſſo Giuſeppe Manni.

Ragionamenti di Franceſco Carletti Fiorentino ſopra le coſe da lui vedute ne' ſuoi viaggi sì dell' Indie Occidentali, e Orientali, come di altri paeſi ec. In Firenze nel Garbo nella Stamperia di Giuſeppe Manni 1701. in 8. Ideo retulimus inter opera Magalotti hanc deſcriprionem itinerum Carletti, quia Magalottus illam ordinavit, emendavit, & indice copioſiſſimo auxit.

Lettere familiari del Conte Lorenzo Magalotti Gentiluomo Fiorentino, e Accademico della Cruſca diviſe in due parti. In Venezia 1761. appreſſo Sebaſtiano Coleti in 4. Hae ſunt celeberrimae epiſtolae, quas Magalottus adverſus atheos ſcripſit, quaſque ad Carolum Theodolum amicum ſuum inſtituit.

Lettere ſcientifiche ed erudite del Conte Lorenzo Magalotti Gentiluomo trattenuto, e del Conſiglio di Stato dell' A. R. del Sereniſs. Granduca di Toſcana. In Firenze 1721. per l Tartini e Franchi in 4.

Canzonette anacreontiche di Lindoro Elateo Paſtor Arcade. In Firenze 1723. per Gio. Gaetano Tartini, e Santi Franchi in 8. Horum carminum nonnulla reperiuntur in parte 4. della Raccolta del Gobbi.

Lettere del Conte Lorenzo Magalotti Gentiluomo Fiorent.

ſino. In Firenze preſſo Giuſeppe Manni 1756. in 4. Fere totus componitur hic liber ex familiaribus epiſtolis, quas Magalottus ſcripſit ad Leonem Strozzium.

Il Sidro poema tradotto dall' Ingleſe. In Firenze 1749. preſſo Andrea Bonducci.

La donna immaginaria, Canzoniere del Conte Lorenzo Magalotti con altre di lui leggiadriſſime compoſizioni inedite ec. In Lucca 1762. nella Stamperia di Giovanni Riccomini in 8. Extat etiam in hoc volumine Dithyrambus, quem ſcripſit Magalottus de floribus, cuique titulum fecit *la Madre ſelva*, de quo non injucundum erit intelligere quid ſcripſerit Vincentius a Filicaja in epiſtola ad Magalottum. *Sono addoſſo al voſtro Ditirambo, e lo trovo ſempre più ſplendido, e grande; ma veggo in eſſo una tal profuſione di bei concetti, e di belle idee, che io non ſo, come voi poſſiate ſcampare la taccia d' un ingegno ſcialacquatore, che non conoſce moderazione, e vuol ſempre mettere in grande tutte le coſe più piccole, e farle talmente creſcere di ſtatura, che di nane che erano, diventino giganteſche.*

Lettere familiari del Co. Lorenzo Magalotti vol. II. In Firenze nella Stamperia Granducale 1768. in 8. Sunt in his voluminibus ſparſa carmina nonnulla Magalotti; & in primo extat etiam hujus vitae Italica interpretatio, quam fecit Petrus Cianfognus Canonicus Laurentianae Florentinae Baſilicae.

In I. volumine *delle lettere inedite d' uomini illuſtri*, quod nos Florentiae edidimus an. 1773. extat, *elogio del Card. Leopoldo ſcritto dal Co. Lorenzo Magalotti*, & extant quoque plures illius epiſtolae tum ad ipſum Leopoldum, tum ad Franciſcum Mariam Cardinales Mediceos. Habet etiam vol. II. nonnullas epiſtolas Magalotti, & plura ad ipſum perti-

ſcentia. Anno 1765. Florentiae Typis Bonduccianis impreſſus eſt libellus cum hoc titulo:

Gli amori innocenti di Sigiſmondo Conte d' Arco con la Principeſſa Claudia d' Inſpruck tradotti dalla lingua Spagnuola dal Conte Lorenzo Magalotti.

OPERA INEDITA.

Lettere VIII. ſulle terre odoroſe d' Europa, e di America, dette volgarmente Buccheri, ſcritte alla Sig. Marcheſa Strozzi. Epitomen rerum omnium, quas explicavit Magalottus in his epiſtolis, ipſe fecit in fine VIII. epiſtolae, quam hoc loco referre libet. *Il Signore Iddio ha creato in queſto Mondo alcune vene di terra odoroſe, alcune in Europa nel Regno di Portogallo, e alcune in America, che una nel Regno di Cile, e due in terra di Meſſico: In quelle di Portogallo in qual più, in qual meno; in tutte però l' odore è più tenue, più ſemplice; e benchè aſſai grazioſo, ed amabile, pure ſi allontana meno da quello, che eſala ogni terreno divampato dal Sole al cadere della prima pioggia. In quelle dell' Indie ſul fondo di queſto ſteſſo odore ſpicca un aromatico, dove più, e dove meno alterato; ma un aromatico paſtoſo; e che conforta ſenza invaſare. La ſingolarità di queſt' odore ha invitato gli uomini tanto di qua, che di là a fare di queſte terre vaſi da beverci l' acqua, per godere nell' iſteſſo tempo dell' utile, e del dilettevole. A poco a poco tra la curioſità, il luſſo, e l' immaginazione è talmente creſciuta particolarmente nelle Dame la vaghezza, la paſſione, o la frenesia di queſti vaſi, che moltiplicatene dal grande ſpaccio le fabbriche, e raffinata*

colla grand' aura la maeſtria di lavorargli, ſi vedono in oggi ridotti a far figura quaſi in tutte le Corti d' Europa, di rarità ne' muſei, d' arredo galante ne' gabinetti, e di ſuppellettile deliziosa nelle profumerie, nelle credenze, e nelle bottiglierie per ſervire alla curioſità, al luſſo, o al regalo.

Selva d' una lettera al Principe Leopoldo, con cui ſi pretende d' aſſegnare un modo, come gli odori poſſan eſſere ſenza che da' corpi odoroſi fluiſca, e ſi perda un minimo che della loro ſoſtanza.

Orazione del vario genio del ſecolo in materia d' odori.

Anacreonte tradotto dal Greco in verſi Toſcani.

Lettere intorno a queſtioni naturali.

Comento ſopra i primi cinque canti dell' Inferno di Dante.

Sommario del libro della concordia del Principato, e della Religione.

Miſcellanea Varia. Extant in hoc libro;

------ *Orazione di ringraziamento all' Accademia della Cruſca per eſſere ſtato aggregato in eſſa.* Vix in hac oratione euchariſtica agnoſces Magalotti elegantiam.

------ *Apologia contro Benedetto Gori Cenſore della Cruſca, che calunniò di ſedizioſa, e piena di mal talento un' impreſa che aſſunſe il Magalotti detto il* Sollevato. *Era queſt' impreſa un cantuccio immerſo in vino roſſo contenuto in una tazza di criſtallo, nella quale ſi vede ſalire il vino ſopra il livello col motto del Petrarca:* Ove per ſe non ſale.

------ *Diſcorſo Accademico.* Caſus Tantali narrat. Fabula haec omnes veneres habet, quam idcirco ſe narraſſe Academicis ſuis dixit Magalottus, ut iis originem exponeret aquae, quam dicimus *cedrata*. Mollis & lubrica eſt in ea parte, ubi deſcribit ſomnium, in quo Tantalo objecta eſt Faiguies.

——— *Orazione ſul riaprimento della Cruſca detta l' anno 1663. nel dì 27. di Novembre, con cui ſi dimoſtra, eſſere tutte le anime da un medeſimo creatore Iddio con eguali forze, potenze, e virtù create, ed eſſere in tutte egualmente puro lume di divinità riposto; e d' onde avvenga, che alcune più, alcune meno riſplendano, e moſtrino di quella fiamma, che dalle loro origine ebbero.* Elegans, venuſta, litterata Oratio.

——— *Novella di Roſana d' Antenore e Giovanello.* Elegantiſſima fabella, in qua Magalottus Boccaccii ſtylum non adumbravit, ſed ad vivum expreſſit.

Lettera al Sig. Roberto Boyle in materia di controverſia.

——— *al Principe Leopoldo ſopra il vacuo.*

——— *al Padre D. Angelo Maria Quirini ſopra la dottrina dell' immortalità dell' anima.*

——— *al medeſimo per provare, che non v' è maggior titolo per Dio, che quello di Re de' ſecoli.*

——— *Al Marcheſe Gio. Vincenzio Salviati ſul combattere le paſſioni della ſuperbia, luſſuria, e avarizia.*

——— *a Roberto Helſon ſopra la Fede.*

——— *a Filippo Bonarroti ſull' etimologia di Lonchio e ſue adjacenze.*

——— *a Monſignor Froſini ſull' Eucareſtia.*

——— *al Barone Bettino Ricaſoli deſtinato Inviato ſtraordinario del G. Duca in Francia intorno ai coſtumi dei Franzeſi, e dei Spagnuoli.*

Riſtretto intorno alla pace de' Pirenei, cavato da memorie originali, e diviſo in libri ſei.

Memoria per uſo di diverſi iſtrumenti mandati a Papa Aleſſandro II.

Relazione del Regno di Svezia.

Oſſervazioni ſopra varie Corti, e particolarmente ſulla Corte d'Inghilterra. Vol. II.

Caratteri di diverſi illuſtri perſonaggi.

Trattato al G. Duca Coſimo per regolare il commercio del vino.

Regiſtro di lettere ſcritte al G. Duca nel 1675. allorchè il Magalotti era Miniſtro in Vienna.

Traduzioni di varie opere di S. Euremont, che ſono; Riſleſſioni ſopra Annibale dopo la battaglia di Canne; Oſſervazioni ſopra Tacito, e Saluſtio; l'idea della donna, che non è mai ſtata, e che non ci ſarà mai; Quali ſcienze convengano più a un galantuomo; Diſſertazione ſopra Aleſſandro Magno; Su quella maſſima, che agli amici non ſi ha a mancar mai; Su quell'altra maſſima, che ſi ha da diſprezzar la fortuna, e non ſi curar della Corte; Dello ſtudio, e della conversazione; Della ſeconda guerra Punica; Dell'eloquenza; Dell'amicizia; Giudizio ſopra Seneca, Plutarco, e Petronio; Parallelo di Aleſſandro, e di Ceſare; degli Storici Franzeſi; de' Traduttori Franzeſi; Del guſto, e diſcernimento de' Franzeſi; L'intereſſe ſordido; La virtù troppo rigida; Riſleſſioni ſu i diverſi genj de' Romani ne' diverſi tempi della Repubblica; Delle prime guerre de' Romani; Il genio dei Romani al tempo che Pirro fece loro la guerra; Contro l'opinione di Livio ſulla guerra immaginaria, che ei fa fare da Aleſſandro ai Romani; Della tragedia; della commedia; della commedia Italiana, e Ingleſe; e dell'opere in Muſica.

Traduzioni varie, parte dal Latino, parte dallo Spagnuolo, parte dall'Ingleſe, e parte dal Franzeſe tutte di coſe ſpirituali, cioè di Thomas à Kempis dell'imitazione di Gesù Criſto; di Gio. Caſſiano Eremita dell'abito de' Monaci; il Caſtello interiore di S. Tereſa; Opuſcoli di D. Lorenzo Grazian;

dell' Amor Serafico di Roberto Boyle; Orazione dell' uſo de' Sacramenti della Penitenza, e dell' Eucareſtia preſa dal libro intitolato: Journée Chreſtiene.

Traduzioni di poeſie dall' Ingleſe; Lo Scellino Lampante, e la Battaglia delle Bermude di Filips, e d' una parte del Paradiſo perduto di Milton. Vertit & alia poetica ex aliis linguis Magalottus, quorum pleraque ſunt edita.

Poeſie varie.

Lettere familiari. Nimis longus eſſem, ſi vellem ſingulos recenſere, ad quos litteras dare ſolitus erat Magalottus. Quas ipſe ab amicis accepit omnes pene extant apud nobiliſſimum virum Coſmum Venturium; apud quem extat quoque maxima pars operum, quae reliquit Magalottus, quaeque nos ſupra retulimus. Haec enim cum ceteris Magalottae familiae bonis ad eum hereditate pervenerunt. In tabulario Mediceo magna extat copia epiſtolarum, quibus Magalottus certiorem faciebat Magnum Ducem Ferdinandum de omnibus iis rebus, quas eum ſcire velle putabat, cum iter per Europam illius filius Coſmus faceret.

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO PETRIO SUO

S. P. D.

ITa natura comparati ſumus, ut cum aliquem vel doctrina, vel prudentia, vel alio virtutis genere excellere ſupra ceteros videmus, & ſententiae principatum tenere, ſtatim quaeramus, quibus potiſſimum initiis & fundamentis laus haec excitata ſit. Itaque ignoſci mihi velim, ſi cum de Franciſco Redio dicendum ſuſceperim, pauca ex hiſtoriae monumentis deprompſero, ex quibus intelligi poſſit quantum interſit in medicina facienda non ingenio indulgere, non temporibus ſervire, non optemperare paucorum, quos probamus, auctoritati, ſed ratione, conſilio, caute, prudenter, & per experimenta, in quo praecipua Redii gloria poſita eſt, morborum cauſſas ac remediorum naturam inquirere. Profecto nulla non laude celebrandi ſunt ſapientes ii viri, qui ſic excoluerunt phyſicas facultates ac praeſertim medicinam, ut in experientia omnia ſerme poſita eſſe putaverint, nullamque capitali-

rem eſſe peſtem, nullam majorem contagionem, nihil tam exitioſum, quam libidinem ſyſtematum atque hypotheſium; ad quas quoniam omnium hominum ingenia ſunt propenſa, nunquam ſatis admoneri illi poſſunt de iiſdem declinandis fugiendiſque. Ortum inquiramus medicinae apud Babylonios, Chaldaeos, atque Aegyptios, & tum facile intelligemus quidquid ad illius incrementum inventum eſt, id totum deberi obſervationibus atque experientiae. Proponebantur aegroti in frequentioribus locis, ut a tranſeuntibus diſcerent quid ſine periculo & cum utilitate hi in ſimilibus morbis experti fuerant, & quod iterum ac ſaepius ſalutare fuiſſe illae gentes noverant, hujus memoriam tanquam praeclari alicujus Deorum inventi in celebrioribus templis conſecrabant. Tum quidem adoleſcere coepit medicina quando hujuſmodi multa, quae diſperſa erant, quaeque infinita videbantur, ratione & diſtributione colligi, & ſub uno aſpectu poni coeperunt; & difficultas laborque redigendi ad artem, quae a multis erant deſcripta & notata, immortalitatem Hippocrati comparavit. Natus hic in Inſula Co in primis clara & valida, & Aeſculapio dicata, longe lateque peregrinatus eſt, ut ſe externis ditaret divitiis, quamvis nulla res eſſe videretur in uſu

medicinae poſita, quae ſapientiſſimi viri ſcientiam effugeret. In Theſſaliam quoque eadem de cauſſa, in Helleſpontum alioque filios & diſcipulos ſuos miſit; atque ex rebus undique exquiſitis, collectis, arceſſitis, comportatis medicinam inſtituit genuitque, quae Clinice vocatur. Huic ſucceſſit temeraria atque inconſiderata medicina Chryſippi, aliorumque opera, qui nihil obſervationibus tribuentes, omnia novitati, loquacitatique animas aegrorum, ut ita dicam, negotiari velle videbantur. Viguit malo hominum fato eorum auctoritas ad Acronis Agrigentini uſque tempora, qui in Sicilia Empiricorum ſectam condidit. Ab hac aliae inter ſe diſſidentes ſectae profluxerunt, quarum varia ſors fuit ad Herophili uſque aetatem, qui eas omnes damnavit in muſicos pedes, ut ait Plinius (1) venarum pulſu deſcripto per aetatum gradus. Deſerta deinde & haec ſecta eſt, quoniam neceſſe erat in ea litteras ſcire. Plurimum operae, ſtudii, diligentiae, laboris contulit Aſclepiades magni Pompeii aetate ad revocandum ſimplex & naturae conſentiens medendi genus. Sed ſalutares, quas ipſe dedit humano generi, leges paullo poſt abrogavere multi, quos temeritas & caſus, non ratio & con-

(1) Praef. lib. 29.

ſtium in medicina facienda ducebat: ſatis vero mirari non poſſumus hominum facilitatem, ne dicam ſtultitiam, qui corpus ſuum turpiſſimo medicorum quaeſtui omnique ſuperſtitionis generi addicebant. Floruit ſub Auguſto Antonius Muſa felicitate magis quadam, quam prudentia clarus; & quamvis non adeo profluxerit ad hominum famam Cornelius Celſus, qui Tiberii fortaſſe aetate vixit, omni tamen laude celebrandus is eſt, quod ſcriptis de re medica libris octo, nullo non rerum & verborum delectu habito, veterem ſimplicitatem dignitatemque medicinae reſtituere curavit. Sed circulatorum ſtrepitu completae aures hominum obſurduerant, & violentis aſſueti medicamentis irridebant eos, qui tuto, blande, & jucunde ex Aſclepiadis praecepto ſe curaturos aegrotos pollicebantur. Quo quidem tempore omnium ſermone celebrabatur novae & temerariae ſectae conditor Vectius Valens, cujus, ut & majorum omnium placita paullo poſt funditus ſuſtulit, Nerone imperante, Theſſalus, rabie quadam, *ut ait Plinius*, in omnis aevi medicos declamans. *Quanta vero prudentia ingenioque is eſſet, ex eo judicari poteſt, quod monumento ſuo, quod erat Appia via, jatronicen ſe inſcripſerit.* Reliquos *medicos omnes fama & divi-*

tiis visus eſt ſuperaſſe Crinas Maſſilienſis, qui ad ſiderum motus omnem medendi artem dirigebat; in quem ceteroſque irruit poſtea ex eadem civitate Charmis, qui tantum frigidae tribuebat, ut ea omnes ſanari poſſe morbos affirmaret. Sic alius alii ſuccedens, ut quiſque loquacitate, novandique ingenio pollebat, hominum vitae neciſque fatum regere videbatur. Ex quibus intelligi poteſt Hippocrateam medicinam ex magna ſpe juvandi homines deturbatam prorſus in oblivione jacuiſſe. Neque dubium eſt quin conſequentes medici majora attulerint medicinae detrimenta, quibus nihil non licentiae atque audaciae dabat hominum inſcitia atque credulitas. Profecto ſi a veterum induſtria rationeque minime deſciviſſent medicinae cultores, non utique doleremus utiliſſimam ſcientiam non ſolum per tot ſaecula haeſiſſe, ſed etiam retro ſublapſam in pejus ruiſſe, atque ad humani generis perniciem totam converſam fuiſſe. An melius actum cum hominum vita & medicina exiſtimabimus, quando Galenus hujus principatum adeo tenuit, ut quidquid ipſe proferret ex oraculo dici putaretur? Et nimirum ille medicorum, ſi Superis placet, princeps, neglecta experientia obſervationeque, tot a Peripateticis mutuatus eſt, qui-

bus

bus tanquam alienis ſordibus obſolevit medicina, ut nil minus quam hominum ſalus propoſita illi fuiſſe videatur. Cujus ego viri placita de occultis qualitatibus (utor jampridem diſciplinarum ipſarum vocabulis, ne ſi aliter fecero, & obſcurus, & nimio plus diligens fuiſſe videar) de elementis, de facultatibus, de ſympathiis, de mirabilibus remediorum poteſtatibus, de pharmacis elective purgantibus, de ſpecificis, de antidotis, de univerſa denique morborum ratione ſi hoc loco referre vellem, ineptiſſimus judicarer. Mirum profecto videri debet permultos non mediocris ingenii extitiſſe homines, qui hujuſmodi ineptiis atque ſtultitiis auctoritatem adjungere magno conatu ſtudioque adlaborarunt, inter quos poſt Oribaſium, Aetium, Alexandrum Trallianum, Paullum Aeginetam, eminere videntur Actuarius & Myrepſius, a quibus ad Arabes, paucis immutatis, univerſa Galeni doctrina traducta eſt. Sed Arabum ſectae, quamvis totae eſſe viderentur in veterum libris interpretandis, nova tamen excogitarunt remedia, noviſque a chemia nuper inventa paratis ſibi praeſidiis, medicinam modico inſtrumento locupletarunt. Quo ſucceſſu eo paullatim proceſſit audacia & impudentia chimicorum, ut nobiliores medicorum deriderent at-

que contemnerent, nihilque eſſe putarent, quod per ipſos effici non poſſet ad hominum ſalutem vel conſervandam, vel reſtituendam. Quae ſunt illa Paracelſi in Galenum ejuſque ſectatores? Profecto illi gratia aliqua habenda eſt, quod ſervile Scholaſticorum jugum a medicorum cervicibus dejicere ſtuduerit; ceterum nil ſtultum magis, ac riſu magis dignum, quam quod ipſe ceterique, qui inani, ſpecioſa tamen, prudentiae laude delectabantur, de aegritudinibus, deque remediorum naturis effutire non dubitarunt. Sed plerique Principum ita in eos effuſi erant, ut diu eorum ſteterit fortuna & auctoritas, magnaque voce jurabant homines vere juraſſe Helmontium *a concuſſo Archaeo & irato febres morboſque omnes oriri, horumque omnium unicum domitorem eſſe Alkaeſt.* Hujusmodi *ſimiliumque ſomniorum plurimi extiterunt vaſerrimi interpretes & ſectatores, quoad Otho Tachenius, & Sylvius de le Bois novi aliquid ſevere in inculto & derelicto ſolo. Docebant hi ſummam eſſe vim in humanis corporibus acidorum & alkalium; eſſe alkalicam felli vim, eſſe acidam pancreaticae lymphae, mixtam, ſuperante acido, ſalivae.* Horum *quaſi triumviratu cuncta adminiſtrari; acido fermento ſubigi cibos in ſtomacho,*

demum transmiſſos occurſu bilis ferveſcere, turbari, ſecerni, hinc per inteſtina diſpelli, inde in ſanguinem, iterumque obortis turbis in corpus omne duci; alterutrius vitio gigni viſcidum, ſuperante bile, fervorem, unde febres, & aegritudinum agmina. Poſt haec placuit Williſio, magna ceteroquin doctrina homini, omnia tribuere ſulphuri, fermentis & ignibus, cum quae in quibuſdam corporibus artis chemicae ſubſidio accidere vidimus, eadem in humano corpore fieri ſibi perſuaderet. Tum enim erat omnibus philoſophis commune vitium ex uno pauciſque experimentis, ex adumbrata veritatis imagine, interdum etiam ex conſictis principiis concludere quid eſſet in natura rerum omnium, quod in univerſum dominaretur, quoque cognito, latebras naturae omnes ſic peragrare poſſemus, ut nihil amplius futurum eſſet occultum atque reconditum. Quae quidem omnia facile oſtendunt quam diſſolute, quam turpiter, quam pernicioſe per tot ſaecula philoſophati ſint medicinae ſtudioſi. Hinc ſectae hoſtili odio invicem infeſtae, ingenia certis hominibus certiſque ſententiis ſacramento addicta, impotens atque infinita pugnandi libido, nova rebus nomina indita ad lites alendas ex compacto inſtitutas; fallaces & captioſae interrogatio-

nes, certae quaedam & ſolemnes formulae, quibus nihil ſubeſſet niſi ſtrepitus; ſubtiles & acutae ſpeculationes de iis, quae nunquam fuiſſent, aut vero eſſe poſſent; perpetuae, & ad ravim uſque productae inani labore diſputationes; omnia prius quaeſita quam veritas & natura. Interea mathematici nacti tempus idoneum ad tot debellandas ſectas, vehementes quidem fuerunt, & omnes profuderunt vires ingenii, ut perſuaderent hominibus non ſolum mancam & imperfectam, ſed nullam fore medicinam, niſi in ſubſidium illa mathematicas diſciplinas advocaſſet. Latiſſime quidem patent hae diſciplinae, ſed ſi earum mechanicis principiis omnis animalis vitae rationem explicare voluerimus, inconſulta experientia, nil facilius erit, quam ut incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamur. Age dum ſtatuamus medicinam non exquiſitis argumentorum ſubtilitatibus contineri, ejus artem non a ſyſtematum & hypotheſium inventione, ſed ab experientia obſervationibuſque rite ac ſaepius habitis pendere, eumque fore utilem medicum, qui principia cauſſas efficientes rerum, quae latent obſcuritate involutae naturae, praetermittens totus eſt in harum effectibus noſcendis, atque inter ſe comparandis, inquirendoque prudenter pa-

tienterque quid natura ferat, aut uſus doceat, aut evidens ratio confirmet. Haec priſtina ſimplicitas eſt, quae propter novitatis amorem diu non ſine maximo Reipublicae detrimento obſolevit, cujus quod apud nos reſtitutor fuerit Franciſcus Redius vir ſane divino ingenio & prudentia ſingulari, quodque exemplo praeceptiſque ſuis nos docuerit, qua ratione ingredi ſine caſu aut prolapſione vix poſſemus via omnium maxime lubrica, rem illum geſſiſſe omnium ſaeculorum memoria dignam, ac pene caeleſtem judicare debemus. Vereor equidem ne cum de tanto viro dicendum ſuſceperim, minuam potius quam augeam ejus gloriam. Quid porro praeſtiterim nemo te melius judicabit, qui ſic polles omni phyſica ſcientia, ut non modo aequorum expectationi, ſed etiam iniquorum invidiae ſatisfacere potueris. Vale.

Piſis III. *Non. Martias* MDCCLXXIX.

FRANCISCUS REDIUS.

SI quis haud invidioſe perpenderit quae quantaque fluxerint ex libris Franciſci Redii, quos complures brevi tempore edidit ad uſum hominum, & ad medicae artis, hiſtoriaeque naturalis incrementum, fateri minime dubitabit ſingulari Dei beneficio conceſſum Etruriae hominem fuiſſe, ut florentiſſima Provincia in hoc gloriari maxime poſſet, nullam eſſe philoſophiae partem, quam ipſe e tenebris in lucem, ex ſervitute in libertatem non revocaverit. Habuit ille, ut Galilaeus ceterique inſigniores philoſophi, objurgatores vituperatoreſque, ſed cum in incepto itinere conſtanter perſeveraſſet, demum effecit ut alteros ſe reprehendiſſe poeniteret, alteri ſe didiciſſe gauderent. Natus ille Aretii anno MDCXXVI. XII. Kal. Martii nobiliſſima Etruriae urbe, nobiliſſimiſque parentibus Gregorio Redio, & Caecilia Ghincia, educatuſque Florentiae mature praeparavit animum hu-

maniorum litterarum ſtudio ad ſapientiam concipiendam. Hujus rei cauſſa ad Academiam Piſanam venit, in qua ineunte Majo an. MDCXLVII. philoſophiae & medicinae laurea inſignitus fuit. Sunt qui narrant ducem & magiſtrum Redio fuiſſe in optima philoſophandi ratione Famianum Michelinium, poſtquam, ut fit, ad ejus ſcholam fortuito veniſſet; quod quidem minus vere affirmari exiſtimo. Perſcriptum enim invenio in monumentis ejusdem Academiae vocatum Michelinium fuiſſe ad tradendas mathematicas diſciplinas anno poſtquam Redius ſtudiorum curriculum confecit. Piſis quidem dum eſſet Redius maxime ſe applicuit ad familiaritatem Paganini Gaudentii, cujus magnum erat nomen in litterarum humaniorum, quas docebat, cultoribus. Valebat ingenio, vincebat omnes induſtria, perfecte eruditus Graecis non ſolum Latiniſque litteris, ſed etiam Haebraicis atque Arabicis, omnique eo, quod ad antiquitatem quomodocumque pertineret, orationem ſubito dicere non verebatur; quodque vehementiſſime in his ſubitis dictionibus ſe exercuiſſet, illud paratius atque accuratius dicendi genus negligere vi-

debatur. Quare minime eſt mirandum ſi multorum, quae reliquit, ſcriptorum fama ad noſtram uſque minime manſit aetatem. Illius certe opera & conſilia utiliſſima fuere Redio, qui incendebatur quotidie magis ad ſtudia oratoria atque poetica. Sed dum ipſe incertus eſſet quodnam curriculum habitura eſſet ſua induſtria, offertur illi munus tradendi humaniores litteras in Columnenſium Principum domo. Romae quidem illum fuiſſe an. MDCL. ſcriptum invenio, ibique frequentaſſe illuſtriores bibliothecas atque Academias, magnaque habuiſſe ſubſidia in illis ſuis philoſophicis exercitationibus a Raphaele Magiotto, quem poſt Galilaei mortem multo doctiſſimum philoſophum noſtram tuliſſe Etruriam vere videor poſſe contendere. Neapolim quoque conceſſit, cum in rarioribus exquirendis rebus naturalibus curioſus eſſet, cupiduſque doctos homines audiendi, ſibique conciliandi. Sed inter haec ſpectans Etruriam, & ad ſuos redire cupiens nihil potius habuit, quam ut aditus ſibi ad gratiam Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis daretur. Quod quidem ei facile fuit, cum tam cognatum nihil eſſet Principis ſapien-

tiſſimi ingenio, quam eos omnes complecti, in quibus non vulgaris eſſet vis rationis, cognitionis & ſcientiae. Et quidem non tam voce, quam praemiis Redium ad magna ſuſcipienda illico ſtimulare coepit; cumque de illius doctrina mira aliquando praedicaſſet, deſignaviſſetque jam medicum ſuum; *gaude*, inquit, *iſto tuo tam excellenti bono, & fruere cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis*. Erat enim ſupra quam cuiquam credibile eſt modeſtus, dulcis, feſtivique ſermonis, & ad omne obſequium humanitatemque accommodatiſſimus. Multi tum erant, qui ſine inſtrumento rerum mathematicarum ad ullam rem illuſtriorem ſatis ornatum atque inſtructum accedere quem poſſe putabant; ſed cum ad earum intelligentiam minus a natura habuiſſet Franciſcus praeſidii, nil invita faciendum Minerva putavit, praeſertim cum aliae non deeſſent viae, quas ad gloriam proximas, & quaſi compendiarias eſſe intelligebat. Ad medicinam igitur & hiſtoriam naturalem omni errorum & mendaciorum genere contaminatiſſimas expurgandas ſe convertit, in quo tanta felicitate uſus eſt, ut earum diſciplinarum parens

jure dici poſſit. Illud & ſuſcepit Redius, ut probaret exemplo ſuo hominibus, hoc vehementer intereſſe dignitatis & gloriae litterarum ab elegantia doctrinae eloquentiam minime ſegregare. Quemadmodum enim ille optimus orator eſt, ut ait Cicero, qui non temere & impudenter, ſed ex arte dicit, & in dicenda cauſſa argumentis aptiſſime ductis texit orationem, & philoſophiae ſtudiis adjutus quocumque vult animos trahit, ita & philoſophus ille probatiſſimus eſt, qui res magnas & obſcuras inventas aperit, atque illuſtrat, & ab oratore inſtructus puris & electis verbis veſtit res ipſas, ne obſcure & perverſe dicendo offendat eorum animos, qui in cogitando & quaerendo ſunt defatigati. Ex multis autem dicendi generibus quod aequabile & temperatum eſt, non ſolum judicio & voluntate, ſed ſponte atque ipſa natura Redius excoluit in primis, effecitque, quod perpaucis adhuc contigiſſe video, ut par eſſet tum in numeris adſtricta, tum in ſoluta oratione. Omnino, ut de Neſtore & Ulyſſe dicebat Homerus, melle dulcior & nive candidior ex Redii ore fluere videbatur oratio;

quod quanti faciendum ſit ex aliorum prae- ſertim Scriptorum comparatione intelliges, quos omnes fere mala, quae tum vigebat, diſciplina, pravaeque opiniones corruperant. Profluxit autem Redius primum ad hominum famam ſuis Italicis carminibus; cumque ſua ſponte deditus eſſet poeſi, hanc etiam eo magis excolendam putabat, quod per eam ad ſapientiam concipiendam animi praeparari & excitari conſueveſint. Pleraque ejus carmina ſunt amatoria, quae legens aegre putabis il- lum ex aliis potius, quam ex ſe ipſo horum argumenta ſumpſiſſe, cum tot imagines, & illa pictura impetus commotioniſque animi haud repraeſentari poſſe videatur delicate, molliter, ac vere niſi ab eo, cujus ſenſus acerrime commoti fuerint. Valde illi placebat hoc poeſis genus, quamvis voluptatum il- lecebris minime titillaretur. Sed ingenium Re- dii molliſſimae cerae ſimillimum, quocumque is vellet, flectebatur ac torquebatur. *Dulces* adeo ſunt verſus illius, & ii praeſertim, qui epigrammata Latine dici ſolent, ut Italicae poeſis amatores non modo ipſos legant, ſed etiam ediſcant. Unus eſt ſonus totius epigram-

matis, unus ſtylus, unum cogitatum; & quae in eo lucent ornamenta, adeo ſunt propria & venuſta, ut non in alienum, ſed in ſuum inmigraſſe locum videantur. Fortaſſe unum alteri praeferes, omnia certe laude digna putabis, quamvis pleraque eorum feſtinanter nimium ad oblectandum animum majoribus curis ſtudiiſque feſſum ſe ſcripſiſſe Auctor fateatur. Adde his ſi placet carmina, quae ad amicos quaſi per ludum & jocum ſcripſit, ex quibus intelliges quantum valeret in illo perpetuae feſtivitatis genere. Sed vicit opinionem omnium Redius cum an. MDCLXXXV. Italicum Dithyrambum cum enarrationibus ſane copioſis atque erudititiſſimis (notae alieno ineptoque vocabulo appellari ſolent) in lucem emiſit. Hoc poeſis genus a Graecis inventum ad Bacchi laudes canendas, intentatum liquere Latini, ceteraeque nationes, ſi Italos excipias. Ante Redium quaſi adumbratam quamdam formam illius dedere Ugolinus Ubaldinius, Angelus Politianus, Benedictus Floretus, Nicolaus Villanius, & quem Redius ipſe certe imitatus eſt, Bonavita Capezzalius. Verum illud ipſum Poeta noſter perfecit, ac

tanta elegantia varietateque colorum ornavit, ut Graecos ipſos viciſſe videatur. In diſparibus numeris molliter & libere fluunt verſus, neque duriter bina, aut plura verba Graecorum more interdum ſimul junguntur. Laudator eſt ipſe Bacchus optimorum vinorum, quibus Etruria mirum in modum abundat; quodque minime patiatur Ariadnam, cum qua loquitur, quidquam ſibi reponere, id fortaſſe dandum eſt homini, cui vinum defuſum eſt e pleno oenophoro. Ne tamen elinguis eſſe videretur procaci ingenio femina, hanc Redius in novo Dithyrambo laudantem induxit ſalubriores Etruriae aquas. Sed rudem & imperfectum hunc Dithyrambum reliquit, propterea quod alterius praeſtantiam minime aequare illum poſſe intelligebat. At dum poeticum ingenium in Redio praedicamus, id praeſertim intelligi volumus ipſum fuiſſe ex maxime raro hominum genere, in quibus celeres mentis motus, qui ſunt proprii poetarum, cum lenta & conſiderata philoſophorum prudentia conjunguntur. Sic poſtquam exacuerat illam mentis aciem condendis carminibus, inveſtigationi naturae dabat operam, omnia caute & patienter

perpendens non ad diſciplinae cujuſdam prae-
cepta, ſed ad rationem atque experientiam.
Cum doleret inquinatam, perverſam, contur-
batam hominum ſtultitiis & deliramentis me-
dicinam, non hanc ſe diligere minus debere
putavit, quod eſſet deformior, ſed miſereri
potius, ejuſque dignitati, ut & hominum in-
columitati conſulere. Placuit ſapiens illius con-
ſilium Ferdinando II. praeſertim cum eidem
nihil deeſſe arbitraretur ad illud ipſum exe-
quendum. Ipſam auctoritatem, quam ei de-
derat, & quod medico ſemper, interdum
etiam conſiliario illo uteretur, plurimum va-
lituram arbitrabatur ad retundendos pertina-
ces, petulantes, ac protervos medicos. Re-
ſtabat igitur ut Redius qua voce, qua ſcri-
ptis, qua exemplo opus magnum aggredere-
tur, in quo quidem minime deſiderari eſt paſ-
ſus prudentiam, induſtriam, ac diligentiam
ſuam. Multa expertus, multa diu meditatus
non dicam hypotheſibus & conjecturis, ſed
vix ſibi ipſi credebat, niſi experientia ſaepius
demonſtraſſet id verum eſſe, quod intendebat.
Morborum, ajebat, plerumque ignorari obſcu-
riſſimas cauſſas, vices, effectus, remediorum

que poteſtates: fruſtra confugi ad elateres, aut atomorum figuras, aut ſalium luctas, aut fermentorum licentiam, aut adfinitatum leges, occultaſque qualitates; idque ſupereſſe unum ad decus & famam nobiliſſimae ſcientiae, ſi ipſa ſoluta opinionum & ſententiarum vinculis in ſola naturae contemplatione conſiſteret, ſicque priſtinae redderetur ſimplicitati. Neque mediocris erat laboris repugnare viſis, & eorum obſiſtere auctoritati (atque haec late quidem dominabatur) qui invectis in medicinam alexipharmacis, cardiacis, & hujuſmodi multis medicamentis, quo ruere natura ipſis videbatur, magis magiſque illam impellendam putabant, & qui saepius violenterque exonerato ventre, ac ſanguine venis emiſſo, aut moto per vim ſudore, omnem vigorem, & quaſſo in corpore languentes vires prorſus extinguere conabantur. Horum temeritatem cum increparet Redius, non ſatis praecipi poſſe judicabat, omnem medici artem in imitanda & adjuvanda natura poſitam eſſe, ſaepius cunctando reſtitui rem, nihil inconſiderate ac temere agendum, ſimpliciora remedia omnibus praeferenda; & quoniam in ſimilibus morbis

magnae ſaepe exiſtunt varietates ex variâ orientes corporum & locorum natura, caeli tempeſtatibus, aliiſque hujuſmodi cauſſis, ut nullum fere in uſu artis perpetuum medico praeceptum eſſe videatur; hinc exacuendam mentis aciem ad meliora eligenda, rejicienda contraria, ac nullum non ſtudium adhibendum ad tenendas res, in quibus non cauſſarum, ſed eventorum cognitio continetur. Acris iſthaec mentis vis, & ut ita dicam, ſagacitas cuncta celerrime cogitans, & illico quod probandum ſit maxime in unaquaque re dijudicans, quanta eſſet in Redio ex ejus ſcriptis conjici poteſt; quodque illa maxime exercitatione & conſuetudine judicandi augetur, nullam homo navus & prudens praetermittebat occaſionem perficiendi naturale bonum uſu, arte, & patientia prope incredibili. *A primo ortu medicinae ad noſtra uſque tempora*, ut affirmavit mihi aliquando vir medica doctrina nobiliſſimus Pringlejus, *vix quemquam invenies, quem cum Redio prudentiae laude audeas comparare*; quo praeconio non ſane video quid glorioſius ac magnificentius dici poſſit. Homo qui convellendum ſuſceperat deter-

terrimum medicinae ſtatum, in quo illam novitatis amor, credulitas ac ſuperſtitio collocaverant, multos ferre debuit obtrectatores atque adverſarios; ſed ipſe propter ſalutem hominum inimicitias non ſolum non recuſavit, ſed etiam appetiit, neque terendum tempus putavit in refellendis imperitorum maledictis. *Qui me accuſant*, ſcribebat aliquando, *Hippocratem accuſant, quem auctorem me habere glorior, cujuſque aemulari exopto negligentiam potius, quam iſtorum temerariam atque obſcuram diligentiam*. Qua re innuere volebat cautiſſime tractandam artem medicam, ab ea violenta medicamenta removenda, & reduviam curandam, quoties vel minimum vetaret periculum medicinam capiti adhibere. Si quem vero inveniſſet Redius, a quo maximis ipſe efferretur laudibus, ſubridens reſpondere ſolebat: *quam magni, quam humiles ſumus, qui idcirco nominamur, quod nihil nos ſcire putamus!* Ceterum quis non laudabit Redii modeſtiam, cujus fama, ſicuti locupletiſſimus teſtis eſt Magalottus, quamvis ad Sarmatas, ad Svecos, aliaſque remotiſſimas nationes adeo pervenerit, ut fere inſtinctu afflatuque divino ejus praecepta,

tanquam oracula, fundi putarentur (1), nullius tamen inventi gloriam ipſe ſibi arrogabat, & illa ipſa remedia, quae in quibuſdam aquis invenit ad ſanandum aut morbum regium, aut teneſmon, aut tormina, ſe ab Aſclepiade aliiſque didiciſſe palam aperteque dicebat. Addebat etiam ſibi omnia paria cum iis medicis eſſe, qui paucis, neque incertis contenti medicamentis, prudenter, fideliter, amice praeſto ſunt aegrotis, omnia ſecundum naturam adminiſtrantes. Miraberis fortaſſe tam cautum, & fere timidum medicum non alienum, ſi res poſceret, fuiſſe ab uſu hydrargyri, ſed cum in omni re gerenda moderatricem ſemper habuerit prudentiam, nihil ferme tentavit, quod ex ſententia minime ſucceſſerit. Cum Redius exacuiſſet illam ſuam mentis aciem ad optimum quodque eligendum, id praeſertim Provinciae ſuae ſe debere putavit, ut oppugnaret (2) ine-

(1) Vid. *Lettere familiari del Co. Magalotti* Part. I. lett. 13. p. 222.

(2) *Non ho prerogative da comparire* (ſcribebat ipſe ad Stephanum Pignattellium) *nel coſpetto dei primi uomini del noſtro ſecolo. Una ſola prerogativa riconoſco in me, ma ella è una prerogativa di deſiderio, e non di fatto. Deſidere-*

rei

ptam, & garrulam & odioſam circulatorum ſcientiam, qua non medicinam modo, ſed omnes phyſicas facultates ii foede deformaverant. Ea propter nulli pepercit induſtriae, quo in Ferdinando II. magis magiſque accenderet deſiderium experiendi quid in quaque re verum eſſet: & quidem vix credibile eſt quot per Redium coram ſapientiſſimo Principe capta ſint experimenta, & habitae obſervationes de rebus aut ad anatomiam, aut medicinam, aut botanicam, ceteraſque phyſicas facultates pertinentibus. Multis millibus aureorum nummûm ſtetiſſe Ferdinando narratur experimenta, quae a Redio inſtituebantur; ſed hujuſmodi impenſas occupationeſque fructuoſas ſolum putabat Ferdinandus, non illas, quas ambitio, luxuries ac vitioſa conſuetudo in Principum aulas induxerat. Tantum Ferdinandi amor erga Redium & diſciplinas, quae ab eo colebantur, valebat, ut quotidie ejus congreſſus ſermo-

rei di potere ſciogliere gli uomini da quei lacci, e da quella cecità, nella quale ſono ſtretti ed imbavagliati dalla birba, dalla ciurmeria, dalla ciarlataneria, dalla furfanteria de' medici ignorantoni, e de' Filoſofi (chymicos innuit) *che tormentano i poveri criſtiani e poi li fanno morire con cirimonia e con luſſo di pellegrini e ſuperſtizioſi rimedj.*

neſque doctiſſimos requireret, & in frequentioribus urbis locis, ipſoque theatro cum eodem colloqueretur. Neque minoribus voluntatis ſignificationibus quantum ei tribueret declarabat Leopoldus Princeps, a quo cum Academia *del Cimento* ad aemulandam Fratris gloriam condita fuiſſet, credibile quidem eſt ipſum in ea locum dediſſe Redio, plurimumque ejus opera uſum fuiſſe. Extat Redii ipſius epiſtola ad Carolum Datum, ut eum certiorem faceret, ſe aſſiduo & vehementi ſtudio in rerum naturalium inquiſitione cum aliis Academicis verſari, multa nova ſe detexiſſe, & inveniſſe quoque rationem extrahendi ſales ex lignorum, herbarum, florum & fructuum cineribus. Sed quantaecumque, quamque diuturnae eſſent ingenii contentiones, illud tamen ſe nunquam efficere poſſe putabat, ut non multo plura, quam quae ſciebat, neſciret. Ex iis anguſtiis, in quas ſuperiorum aetatum philoſophi phyſicam conjecerant, in campum paullo patentiorem illam educere tantummodo ſibi propoſuerat, & viam quodammodo monſtrare, qua veritatis amatoribus ingrediendum eſſet. Ex multis, quae ſepoſue-

rat, publica luce donanda primum putavit, quae ad viperas pertinent, quod in iis res medica non minus, quam phyſica contineretur. Quo minus veri de iis fuerat memoriae proditum, hoc fuit Redius ad inveſtigandum curioſior. Poſtquam certiſſimis experimentis probaſſet nihil eſſe venenati in vipera, niſi liquorem quemdam flavi coloris, quem in vagina, qua obducuntur canini dentes, contineri putavit, expoſuit qua ratione is emittatur, & cum ſanguine vulnerati morſu animalis, quod ad mortem inferendam neceſſarium eſt, commiſceatur. Ipſos caninos dentes tum in maribus, tum in feminis binos eſſe, & ab imo ad ſummum uſque excavatos, viamque veneno aperire ait. Iſtud autem venenum ubi generatur, & quomodo mortem affert? Non a fellis veſica, ut erat multorum ſententia, illud ortum ſuum ducere putat, ſed in capite gigni, & deferri ad vaginam per ſalivarios illos ductus, quos recentiſſime in humano corpore detexerat Thomas Wartonius, & in multis aliis ineſſe animalibus probaverat Laurentius Bellinius. Sed horum poſtremum pro certo affirmare non audet Redius, & prorſus

ſe ignorare fatetur quomodo vitam animat venenum. Quid? Nonne optimus & graviſſimus philoſophorum quiſque fateri ſolet, multa ſe ignorare, & multa ſibi etiam atque etiam eſſe diſcenda? Viperini veneni quae quantaque ſit vis multis apertum facit experimentis: comparat etiam inter ſe plura genera venenorum, & quae de eorum medicamentis vulgo tradebantur, pleraque mentita & omnino falſa eſſe ſe manifeſto comperiſſe affirmat. Quamvis prolata a Redio de viperis talia eſſent, ut de iis affirmare poſſet, *haec omnia vidi*, extiterunt tamen in Gallia, ubi hujusmodi ſtudia ſero admodum expetita vix tum colebantur, qui ei ſe ſe opponerent, in ea perſiſtentes ſententia, nihil venenati eſſe in vipera, niſi illa irritata eſſet, & laceſſita ad offendendum eum, a quo ſe laeſam eſſe putaret. His cum reſponderet Redius illa ſecutus eſt, quae paullo ante propoſuerat, novis eadem comprobans experimentis, quae vel pervicaciſſimos convincere erroris potuiſſent. Sed opinionum vanitas ita iis temporibus animorum imbecillitatem torquebat, ut inſanorum potius viſis, quam doctorum hominum teſti-

monitiis fides haberetur, & ſublata omnis veri & falſi nota eſſe videretur. Non Gallos, ſed Redium imitati ſapientes viri Meadius, Nicolſius & Fontana per experimenta viperarum naturam & fabricam iterum indagarunt, & nova multa in lucem protulere, quae ſuperiorum oculos effugerant. Obſervarunt hi non eumdem ſemper eſſe caninorum dentium numerum; flavum liquorem non exterius, ſed per internum canalem, qui eſt in iiſdem dentibus, a ſummo ad imum uſque excurrere, huncque non a vagina exprimi, ſed ab ampulla quadam, quae muſculis cingitur supernae mixillae, ad cujus latera poſita eſt, quaeque proprium ductum habet ad labia uſque alveolorum, quibus ipſi dentes inſeruntur. Ex multis pauca collegi, quod haec minime congruere videntur cum iis, quae Redius protulerat. Ceterum quod ad viperini veneni naturam pertinet, injuria a Meadio Redius reprehenditur, quia illud minime ſalſum acidumque eſſe putaverat. Cum in hujuſmodi rebus perquirendis inveſtigandiſque totus eſſet Redius, fieri tandem poſſe minime deſperabat, ut naturalis hiſtoria, & illa maxime pars, quae

ad animalia pertinet, veteribus purgaretur ſordibus, & nova augeretur dignitate. Hujus quaſi inventor & princeps (lubuit ſemper diſciplinarum originem, vices progreſſionemque inquirere) fuit Ariſtoteles, qui liberalitate Alexandri excitatus, & multorum adjutus opera libros XIX. de animalium hiſtoria, partibus, & generatione conſcripſit, opus copioſum, eruditum, nec minus varium quam ipſa natura. Habet tamen ſua vitia & quod ad ordinem, & quod ad rerum delectum pertinet. Majoribus etiam urgentur Plinius & Aelianus, poſt quos per plura ſaecula jacuit fere in oblivione hiſtoriae naturalis ſcientia. Ut ipſa cum ceteris diſciplinis reviviſcere coepit, non ita multum provecta eſt, quod antiquitas, quaſi ipſa proxime ad Deos accederet, omnia vidiſſe, omniaque praeoccupaviſſe putaretur. Profecto ſi Aldovrandus, Geſnerus, Mouſetus aliique ſingulari induſtria viri tantum operae poſuiſſent in inquirenda conſulendaque natura, quantum ſtudii collocarunt in interpretandis, exponendis exquirendiſque veterum ſententiis, melius ſuorum famae, melius poſteritati proſpexiſſent. Sed haec

potius vitia temporum, quam eorum hominum dixeris, cum in omni re phyſica, quaſi per caliginem perſtringere aciem omnium mentium ipſius Ariſtotelis teſtimonium atque auctoritas videretur. Excuſſum eſt tandem hoc ſervile jugum, imminuta ſuperiorum auctoritas, avocata philoſophia ab inanibus ſpeculationibus, ut in ſola inquiſitione naturae atque experientia conſiſteret; & quod ab hac eſſet approbatum confirmatumque, huic unice habita fides, cum hoc praecipuum eſſe munus philoſophi putaretur obſiſtere viſis, aſſenſusque ſuos ſuſtinere. Hanc quod ſecuti ſint viam Malpighius & Redius, quodque principes multis extiterint ad ſuſcipiendam & ingrediendam horum ſtudiorum rationem, philoſophiam egregiis inventis locupletarunt. At cum invitarent homines ad noſcendam praeſertim miram inſectorum varietatem, proprietates diſſimilitudineſque, haud mediocriter iis laborandum fuit, ut convincerent illorum errores, qui a putrore pleraque eorum gigni putabant. Hic primus quaſi gradus fuit ad rerum hujuſmodi ſcientiam; ſed pertinaces, litigioſos oppugnatores ii invenerunt in ho-

minibus Jeſuitis, Kirkerio praeſertim, Bonannio & Fabrio, quod ea conditione atque eo fato nati eſſe viderentur magnarum rerum inventores (quis Galilaei, Cavallerii, Caſſinii, aliorumque exempla ignorat?) ut ſe ſuaque ab iiſdem hominibus defendere deberent. Sed ut res a Redio prolatas in libro, cui titulus, *Eſperienze intorno agl' inſetti*, propius attingamus, plurimis variiſque idem comprobat experimentis, putreſcentes animalium carnes ex ſe minime vermes gignere, niſi muſcae aliaque huiuſmodi inſecta ova in iis depoſuerint. Lepide ridet eos, qui aut putri de bove florilegas naſci apes, aut preſſum humo bellatorem equum crabronis originem eſſe, aut de parte ſepulta cancri exire ſcorpionem putabant, quae & alia hujuſmodi multa quamvis poetarum eſſe ſomnia facile agnoveris, omnium tamen opinione firmabantur, tantum licentiae ad hujuſmodi diſſeminanda mendacia dabat hominum credulitas. Hinc occaſionem cepit Redius verum ortum ac generationem ſcorpionum explicandi, deque eorum, ac praeſertim Africanorum (nam noſtrates ferme ſunt innocui) veneno, quae ipſe prius

animadverterat exponendi. Dubitare videtur num perforatus ſit eorum aculeus, in cujus extremo cum ſaepe vidiſſet, aquae guttulam albi coloris, dum ipſe ſcorpio ad morſum incitaretur, id ei omnem tollere dubitationem debuiſſet. Sunt qui tria foramina, per quae ſcorpio foras venenum emittit, ſe vidiſſe teſtantur, ſed probabilius bina tantummodo eſſe dixeris ad aculei latera poſita, ut eſt loculentus auctor Felix Fontana (1). Tota redundat eruditione atque lepore Redii oratio ubi conſutat aut Honorati Fabrii, aut Athanaſii Kirkerii futiles & commentitias ſententias de quorumdam animalium ortu: parcebat enim adverſariorum dignitati, in quo ipſe ſervabat ſuam; quod eſt hominibus facetis & argutis difficillimum, habere rationem hominum & temporum, & ea, quae occurrant, cum ſalſiſſime dici poſſint, tenere. Miraberis profecto hominem, quo non felicior alter fuit in convincendis non vulgi modo, ſed & illuſtriorum philoſophorum erroribus, turpiter lapſum fuiſſe in explicanda generatione vermium, qui in interiori parte fructuum,

(1) *Ricerche fiſiche ſopra il veleno della vipera* pag. 58.

leguminum, plantarum, harumque tuberibus inveniuntur. Ait enim haud improbabili argumento affirmari poſſe animam, vel virtutem illam, a qua flores & fructus in vivis & ſenſu quodam praeditis plantis generantur, cauſſam & originem hujuſmodi vermium eſſe, ipſoſque fortaſſe fructus magis quam ad uſum hominum, ad generationem eorumdem vermium, cum matricis vice fungantur, procreatos eſſe. Qua de re ſeparatum opus edere meditabatur cum hac inſcriptione: *Storia de' varj e diverſi frutti ed animali, che dalle querce e da altri alberi ſono generati*, quod e manibus depoſuit, poſtquam Malpighius ſuam *de gallis* diſſertationem in lucem emiſit. Quin immo, ut ipſe Malpighius teſtatur (1) de ſua priſtina ſententia deceſſit, illi prorſus aſſentiens vermes omnes, quos abditos reperimus in interiori parte fructuum, leguminum, & vel eorum, quae magis tuta videntur a muſcarum injuriis, & in omnibus morboſis plantarum tumoribus, ortum habere ab ipſarum muſcarum ovis. Ceterum ut erat Redius veritatis amantiſſimus, nihil tam indignum Sa-

(1) Pag. 78. *Oper. Poſth. edit. Venet.*

pienſis gravitate & conſtantia putabat, quam aut in falſo perſiſtere, aut quod non ſatis explorate perceptum eſſet & cognitum ſine ulla dubitatione defendere: quapropter erraſſe ſe non angebatur, notatione gaudebat, & tam facile errata ſua confitebatur, quam alius obſtinate defendere ſolet. Id etiam ex iis intelligi poteſt, quae attulit in hoc ipſo, de quo loquimur, libro, ut probaret cor viperarum unam tantummodo auriculam, atque unum habere cavum, ſe ipſum reprehendens, quod huic contraria ſententiae, ſpecie rerum deceptus, alio in loco aſſerere minime dubitaverit. De metamorphoſi quorumdam inſectorum, & eorum praeſertim, quae erucae dicuntur, ſic loquitur Redius, ut dum multa iis temporibus abdita prodit, quaedam in incerto relinquat, & quaedam etiam minus vere tangat; quibus de rebus omnibus accurate ſane diſputat Antonius Valiſnerius (1), ad quem hiſtoriae naturalis ſtudioſos delegamus. Permulta alia collegit Redius, ut erat in omni re naturali curioſus, de iis inſectis, quae in hominum & brutorum corporibus inveniuntur,

(1) *Dialogo 1. interno la curioſa origine degl' inſetti.*

& pediculorum varia genera pro varia animalium, quibus adhaerent, natura minute deſcribit. Coarguitur tamen a Bidloo (1) aliiſque, quod male expreſſerit figuram & formam vermium, qui aut in vervecum hepate, aut in cervorum cerebro reperiuntur, quod idem dixeris de aliis vermibus maximeque de frumentario; ſed veniam illi dandam puto, quod non adeo perfectis uti potuit microſcopiis, qualia nunc magnorum artificum ingeniis elaborata habemus. Librum, qui haec continet, in vulgus edidit Redius an. MDCLXXXIV. inſtituitque ad Carolum Datum ſingulari eruditione virum, & ingenii feliciſſimi, atque ad omnia, quod de Catone dictum accepimus, verſatilis, ex cujus judicio magnum pondus acceſſurum ſperabat ad retundendos adverſarios, qui & voluntatem nocendi in iracundia, & vim in ingenio habebant. Quoniam vero hoc ſibi ſumpſerat Redius, ut errantibus & vagis opinionibus philoſophorum de inſectis ſtabiles certaſque ſententias opponeret, novum opus aggreſſus eſt, quod inſcripſit; *Oſſervazioni intor-*

(1) *Obſervat. de animaliculis in ovino aliorumque animantium hepate detectis Lug. Bat.* 1698.

no agli animali viventi, che ſi trovano negli animali viventi. Permagni quidem aeſtimari debent ea, de quibus dicitur, non tam eorum praeſtantia (ut enim elucet mira Dei ſapientia in tot minimorum animalium fabrica, varietate atque proprietatibus!) quam novitate: ſed ex eruditionis copia, ex orationis elegantia atque ſplendore magnus ad illa cumulus accedit, ut hac re una potuiſſe videatur Redius in eam gloriam, in qua nunc eſt, celebritatemque venire. Sic ſtudia, quae neglectu hominum atque faſtidio obſoleverant, in honore eſſe coeperunt, ac revocata philoſophia ad dignitatis gradum, in quo eam illi non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi graviſſimi auctores & magiſtri Plato atque Ariſtoteles collocaverant. Exordiri voluit Redius opus ſuum a deſcriptione ſerpentis, cui duo erant capita. Cum in eo duplicata viſcera reperiſſet, duplici quoque eum moveri anima putavit, & quidem ſiniſtrum caput ſeptem horis ſerius, quam dextrum mortis ſigna dedit. Ejus morſum, quem venenatum & peſtiferum fore putabat, innocuum expertus eſt; non propterea tamen ipſum carere veneno affirma-

vit, cum plura ſint animalia, in quibus ſo-pita ac pene extincta eſt vis veneni hiberno tempore, quae verno, ac praeſertim aeſtivo reviviſcit. De viperis etiam hoc loco loquitur, cum ſaepe ſoleret ab eo quod ſibi propoſue-rat digredi. Accedens tandem ad praecipuum operis argumentum formam exponit eorum vermium, quorum ſedes eſt in diverſis viven-tium animalium partibus; & ex quamplu-rimis, quos nominat, nonnullos elegit, ut per eos oſtenderet quam ſolers ſubtiliſque ſit deſcriptio partium, quamque admirabilis fa-brica membrorum. Magna cura & diligen-tia quaeſivit omnes minimas partes lumbrico-rum, & quaenam ſimilitudo eſſet inter eos, qui in hominum aliorumque animalium viſce-ribus, & in terra degunt, ex quo aliquid ſe colligere poſſe ſperabat, quod ad rem medi-cam pertineret. Sed diſſimili natura eos eſſe comperit. In magna & involuta canalium co-pia mirabiliter indicavit uniuſcujuſque mune-ra; & dum inquirit quomodo foetus ſuos ſimi-li procreent, nullum invenire potuit diſcrimen inter marem & feminam, quapropter mini-me aſſerere dubitavit humanos lumbricos her-

ma

maphroditos eſſe. Quoniam haec male acceptum iri putabat a moleſtis & odioſis Peripateticis, ſimilia exempla ad illos convincendos in aliis animalibus quaeſivit. Invenit tandem in cochleis nudis, & domiportis, in quibus quid inter marem & feminam interſit non diſtinguitur. Priorum fabricam praeſertim indagavit expoſuitque Redius, ſicque procreationi illas operam dare animadvertit, ut hac in re nihil commune habeant cum ceteris animantibus. Eadem ferme quae Redius, annis poſt quatuordecim protulit de nudis cochleis Verneyus in actis Pariſinae Scientiarum Academiae; Auctoris nomine, a quo ſumpſerat, occultato. Nec defuere e noſtratibus, qui obſervationes Gallorum hujuſmodi in rebus extulerint, quod hoc ſit fere Italis commune vitium (dicam aperte quod ſentio) ut bona ſua, quae & multa ſunt, & exteris nationibus invidenda, parvi ducant; aliena, quamvis ſane mediocria, ſic adament atque ſuſpiciant, ut pretium rebus, libris praeſertim, non niſi peregrinitas apud eos facere videatur. Sed illuc revertor. Nullum cochleae genus, quin immo nullum aut

terreſtre aut marinum animal ſine corde eſſe poſſe probat Redius adverſus Bonannii ſententiam, qui profitebatur Italis ſuis ſe veriſſimam philoſophiam exhibiturum, dum in praeclariſſima inventa Malpighii & Redii petulanter invaderet. Hac occaſione, novis allatis experimentis, illud ratum, firmum ac fixum eſſe voluit Redius, nihil *ex putri*, ut loquebantur, naſci; ita tamen diſputat homo natura leniſſimus, & a contentionibus, ſi quis unquam alius, abhorrens, non tanquam adverſarium convincere, ſed verum unice invenire velle videatur. Naturam quorumdam animalium (id enim ſequitur) quae terra aut arena nutriri videntur, exponit, de hirudinibus, de teſtudinibus, quae ſpoliatae cerebro per plures menſes vivunt, de anguillis (ac de his quidem ſeparatum opus edere meditabatur, quod minime perfecit) de leporibus, de innumeris pene vermibus, quos in variis avibus quaeſivit, inaudita multa profert; cumque ea diceret, quae ſibi erant in promptu, nonnullis fortaſſe videbitur ſcriptis Redii deeſſe lucidus ordo, cui primas nunc tribuere ſolemus. Extremo libro refert ſe iterum ad ter-

reſtres lumbricos, ex quibus illud erat, quod praeſertim vellet habere cognitum; quibus gaudeant & excitentur rebus, & a quibus abhorreant atque extinguantur. Sic enim ſperabat ſe facile mederi poſſe humanis corporibus, quando a rotundis hiſce vermibus illa divexantur. Sed hujuſmodi curationes, ſeu potius experimenta, quibus eae innituntur, argutula ſane epiſtola oppugnavit Jacobus Sinibaldius (1), cum aquas, saccharum, omnesque ſales ſtomachi calore concoctos ac fermentatos, priuſquam ad ſedem & locum vermium perveniant, priſtinam illos aut amiſiſſe, aut mutaſſe vim & naturam non levi argumento contenderet. Et haec quidem ferebat Redius fronte, ut putabatur, & volebat belliſſime: ſed angebatur intimis ſenſibus, cum multa ab aliis vel iracunde, vel inſolenter, vel in omni genere ſtultitiae inſulſe & arroganter contra id dicerentur, quod omnes habebat in ſe numeros veritatis. Quoniam vero latiſſime patere videbatur illa philoſophiae pars, quam Italicis litteris illuſtrandam ſuſceperat, nihil fere intermiſit poſtea nec diſpu-

(1) *Edita eſt Romae an. 1687. apud Jo. Angelum Mutium.*

tare, nec ſcribere, effecitque etiam ut nobiliſſimi ſuorum diſcipulorum (ſcholas enim Graecorum more domi habebat) in eaſdem exercitationes operam darent. Hi autem praeceptoris voce quotidie admoniti illam perfectam philoſophiam eſſe, quae de maximis quaeſtionibus copioſe poſſet ornateque dicere, illius gloriae tum ſe reſponſuros eſſe judicarunt, quando prudentiam cum diſſerendi elegantia junxiſſent. Itaque nihil elegantius & accuratius iis libris, quos aut Petrus Paullus Sangallus de culicibus, aut Stephanus Lorenzinius de torpedinibus, aut Joannes Caldeſius de teſtudinibus tum terreſtribus tum maritimis in vulgus, diverſis temporibus, edidere. Sunt qui putant Redium iis hominibus non modo auctorem fuiſſe ad illa opera ſcribenda, ſed adjutorem quoque ſe praebuiſſe, quod cum nobis nullo certo argumento conſtet in medio relinquimus. Cum eſſet quidem Redius moribus facillimis humaniſſimiſque, nihil tam optabat quam impertiri ceteris praeſtantiam doctrinae, quam conſecutus fuerat, multorum favere induſtriae, honori atque fortunae, quae quidem complere ajebat beatiſ-

ſimam vitam, qua benevolentiſſimorum Principum beneficio fruebatur. Non defuere tamen qui crederent tam facile illum invidere ſolitum iis, quos gloria pares aut ſuperiores ſe habiturum ſuſpicabatur, quam favere inferioribus. Quibus profecto non auſim aſſentiri, quod non deceat de viris fama probatiſſimis ſuſpicionibus judicare. Sed quoniam Redio maledici deeſſe non poterant, eo pervenit nonnullorum aut audacia, aut credulitas, ut ficto officio & ſimulata ſedulitate coram religioſiſſimo Principe religionis munia illum obire dicerent. Sed has accuſationes miſſas facio (dilui enim facile poſſunt ipſa epiſtolarum Redii lectione, quarum multae ejus in Deum ſinceram pietatem indicant) repetamque narrationem rerum in ejus ſcriptis contentarum, quae ut illius gloriae ſeges & materia fuerunt, ſic praecipuum hujus commentarioli argumentum eſſe debent. Placuit Redio uno libro multa, eaque varia ſine diſpoſitione atque ordine, quo tamen nihil pulchrius in omni ſcriptorum ratione, comprehendere. Haec enim omnia opportuniſſima fore judicavit ad ſanandos eos, quorum aures ſem-

per patebant circulatorum mendaciis, quique nihil niſi fallacibus judiciis probabant. Profecto proprium erat officium ac munus hominis, qui ad tutandum, conſervandum & juvandum genus humanum natus videbatur, revocare omnia ad experientiam, praeſertim cum ſaepe accideret, ut quae remedia nonnullis malis inventa putabantur, ea nulla eſſent. Nemo tunc erat, qui Indicos lapillos quoſdam, quos gigni opinio erat in quorumdam ſerpentum capite, & in magnorum lacertorum, aliorumque animalium ſtomacho, ſanare non poſſe crederet venenatorum animalium morſus, dolores nephriticos, & ipſum calculorum morbum. Magnum remedium eſſe putabatur in armadilli (ſic Hiſpani vocant genus quoddam teſtudinis maritimae) oſſibus & cortice adverſus ſurditatem, morbumque gallicum; & mira prorſus praedicabantur de aliis animalibus, de variis radicum generibus, adeo ut quidquid ab Indis ad nos deferretur, tanquam ſingulare aliquod Aeſculapii donum non vulgus modo, ſed & plerique ſapientum ſuſpicerent ac venerarentur. Has aliaſque bene multas hujuſmodi opiniones (non enim vacat ſingulas refer-

re*f*) falſitatis ut convinceret Redius, ſcribendum ſuſcepit librum, cui titulum fecit: *Eſperienze intorno a coſe naturali*, in quo dum ſaepe digreditur a propoſito, multa alia quaſi ſemina ſcientiae ſpargit. Merito efferruntur quae de cervis expoſuit, nec non de torpedine, cujus torpefacientem vim primus omnium ſedem habere docuit in duobus illis falcatis muſculis, quorum extrema cutem dorſi & pectoris tangunt. Horum molliſſima eſt materia, cum ex aqueis veſiculis varia figura praeditis conſtare videantur. At cum praeſertim ſibi propoſuiſſet Redius ſecernere omnia fucata & ſimulata a ſinceris & veris, non recentiorum modo, ſed & veterum philoſophorum plures errores notat atque emendat; grammatici etiam interdum partes agit in horum ſcriptis interpretandis, cum eſſet litteris Graecis & Latinis eruditiſſimus; errata quaedam Scriptoris commentariorum Academiae Florentinae indicat, tantamque eruditionis copiam cum ubertate orationis conjungit, ut eum multi in hujuſmodi philoſophicis ſcriptionibus ſibi tanquam exemplar ad imitandum [illegible]erint. Miraberis praeſertim ingentem

Scriptorum, quos nominat, numerum, neque Graecos modo, Latinos & Italos, ſed Arabos, Gallos, Hiſpanos & Luſitanos, ex quo conjici poteſt veriſſimam illam putaſſe Plinii ſenioris ſententiam: *nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſe poſſet*. Tot Scriptorum referens ſententias id praeſertim oſtendere volebat Redius, perverſum eſſe illud philoſophandi genus, quod totum alienis teſtimoniis auctoritatique innitebatur, quapropter apud eum ſaepe haec oratio uſurpata eſt, ut nihil praeter experientiam rite ac ſaepius habitam in univerſa phyſica diceretur eſſe tutum. At cum Jeſuitae omnia fere gymnaſia tenerent, plerique hominum diſcum, quam philoſophum, audire malebant: extitere etiam, qui, libris editis, ſapienter ſe geſſiſſe Athanaſium Kirkerium affirmarent, cum derideret eos, qui omnia vellent confirmari ſenſibus, nulla aut mediocri tributa fide Scriptorum teſtimoniis (1).

(1) *Prodromo Apologetico alli ſtudj Chircheriani, Opera di Gioſeffo Petrucci Romano, nella quale con un apparato di ſaggi diverſi ſi dà prova dell' eſquiſito ſtudio che ha tenuto il celebratiſſimo Padre Atanaſio Chircher circa il credere alle opinioni delli Scrittori sì de' tempi andati, come de' preſenti, e particolarmente intorno a quelle coſe naturali dell' Italia ec. Amſterdam 1687.*

Omnium autem ineptiarum, quae ſunt innumerabiles, haud ſcio an ulla ſit major, quam ut ille ſoleret quocumque in loco, quoſcunque inter homines de ſuis fictis & commentitiis fabellis argutiſſime diſputare, non intelligens ſe a prudentioribus derideri. Itaque Redius vicem hominis dolens, qui ob praeſtantiam ingenii & eruditionis clarus & magnus eſſe poterat, multa cum eo locutus eſt, quae ad ejus ſanandam mentem pertinere arbitrabatur, & ad eum quoque inſtituit librum *de experimentis rerum naturalium*, ut in eo non adumbratam, ſed expreſſam verae philoſophiae formam intueretur. Praeter haec, quae expoſuimus, alia ſunt, quae explicationem illuſtrem & perpolitam deſiderare putavit Redius. Acaros, qui ſub cute generantur, ſcabiei cauſſam eſſe probat, quapropter ſine periculo, contra ac putabatur, poſſe nos huic mederi morbo illos perdendo vermiculos, qui cum facile carni ac linteis adhaereſcant, inde oriri affirmat ejuſdem morbi contagia. Hos vermiculos aliqua in parte teſtudines referre dicit; albos eſſe, ſi dorſum excipias, in quo fuſci aliquid apparet, cum pilis longis & rariori-

bus, ſex habere pedes, agiles eſſe & pronos ad motum, & in extremo acuminato rictu bina eoſdem exerere cornicula. Horum explicata figura ac proprietatibus, ortum, incrementum & mutationes perſequitur aliorum vermium, & eorum praeſertim, qui e durioribus lignis, e rubeis betis, e ſeminibus oleoſis, ut ſunt amygdalarum, avellanarum, aliarumque nucium, ex arefactis dulcioribus fructibus, atque e caſeo enaſcuntur. Sed quoniam in his omnibus, quae expoſuimus, pauca quaedam ſunt, quae obſervatoris diligentiam effugerunt, non mediocris laus danda eſt Antonio Valiſnerio, qui quod ſcriptis Redii deeſſe videtur, ſupplevit (1). Porro ea eſt naturalis hiſtoriae difficultas, ut illa agro non ſemel arato, ſed novato & iterato per induſtres cultores indigeat, quo meliores foetus poſſit & grandiores edere. Quamobrem Redio ſapienter momenti libenter aſſentimur, pleraſque res a natura occuli atque involvi, & idcirco nun-

(1) *Vid. volum.* 1. operum Redii quae edita ſunt Venetiis an. 1712. Etenim in hujus extremo extant *Miglioramenti e correzioni d' alcune ſperienze ed oſſervazioni del Sig. Redi fatte dal Sig. Antonio Valiſnieri e regiſtrate dal Sig. Dott. Girolamo Gaſperi Veroneſe.*

quam non remittendum laborem in iis quaerendis; permulta videri explorata, quae aut falſa, aut dubia ſunt; res plane certas ita modicas & paucas eſſe, ut plerumque bellum ſit confiteri potius nos neſcire, quod non bene novimus, quam levia & commentitia effutiendo ſimplicis veritatis amatores nauſeare. In his ſcriptionibus quamvis attentiſſime verſaretur Redius, nunquam tamen intermiſit medicinam facere, quod egregie non modo iis, qui utebantur ejuſdem opera, ſed etiam in vulgus gratum eſſe ſentiebat. Itaque domus ejus celebrabatur, ipſe deducebatur, ſalutabatur, conſulebatur, unaque vox omnium erat, neminem tuliſſe Etruriam illo aut gloria clariorem, aut auctoritate graviorem, aut humanitate politiorem. Senſit quidem non vulgari modeſtia vir ultra quam fines Italiae ſunt famam ſuam peragraſſe, cum nobiliſſimi Gallorum, Germanorum & Britannorum ab eo de rebus medicis conſilia petiiſſent, cum munera eadem de cauſſa vel ab ipſis Turcis, qui in Affrica dominabantur, accepiſſet, & cum exterorum multi ſe in hoc Magno Duci invidere dicerent, quod tam frugi, tamque claro viro

illi frui liceret. Nam honores & copiae non ſuperbiae ac libidini, ſed bonitati ac moderationi facultatem & materiam dederant. Nullam quidem in Redio ſive morum ſit, ſive ingenii virtutem invenies, quae generi hominum non fructuoſa fuerit; ſed praeſertim gratiſſima laus eorum factorum habetur, quae ſuſcepta videntur ad excitandos ſtudioſos adoleſcentes ad gloriam, ad eorum mentes erudiendas ac veritatis amore inflammandas ſine emolumento ac praemio. Eminebat is etiam, & excellebat ipſa Principum ſuorum, quae plurimum commendat, gratia, quibus cum ſerviret, non minus conſiderabat quid eorum ſalus exigeret, & quid eorum erudítiſſimae aures appeterent, quam quid virtutibus deberetur. Quod vero Ferdinandus, & Leopoldus fratres ſic litteris ſuſtentarentur ac recrearentur, ut mallent in illa ſedicula, quam olim Laurentius Mediceus habuit ſub imagine Platonis, quam in ſolio ſedere, & cum Redio aliiſque litteratiſſimis viris, quam cum ſui ſimilibus familiariter vivere, id profecto multorum triumphis antepono. Maxima pars experimentorum de rebus phyſicis,

quae cauſſam dederunt Redii ſcriptis, coram iiſdem Principibus habita fuerunt, de quibus ſatis dixiſſe videbor, cum commemoravero quae pertinent ad ſales factitios, eorumque uſum in medicina, ad vitreas guttas, quae in aliqua parte fractae in minutiſſimum ſtatim abeunt pulverem, & ad examen cujuſdam aquae, quae mirabiliter omnes ſanguinis fluxiones cohibere falſo dicebatur. Atque hi ſapientiſſimi Principes cum minime ignorarent Redium eadem mentis acie, qua plurimarum rerum vim naturamque viderat, hac quoque adſpicere, quae ad dicendi artem pertinebant, ei munus an. MDCLXV. aſſignarunt docendi Etruſcas litteras in Academia Florentina. *Poſt hoc* mandata ipſi & aliis doctis viris dederunt de augendo, ac tertio edendo Etruſco lexico, qua quidem in re quamvis non mediocriter adlaboravit, conſultis praeſertim veterum ſcriptorum codicibus, quorum feſtivam copiam habebat, quorumque nonnullos edidit, non praecipuae tamen illius partes fuerunt, quod aliis gravioribuſque diſtineretur occupationibus. Nihilo tamen minus facile non quem invenies, cui aeque ac Redio debeat Etruſca

lingua. Genus orationis ſecutus elegans, comme, urbanum, temperatum, quod quidem mores ſcriptoris exhibet, veluti Auguſtus gloriari potuit, ſe *caçozelos*, & *antiquarios*, *ut diverſo genere vitioſos*, *pari faſtidio ſpreviſſe*: (1) *cincinnos*, & *reconditorum verborum foetores perſecutum fuiſſe*, effeciſſeque ne amplius dominaretur in ſcholis fex philoſophorum, ſimioli illi cum annulo, & toga, qui quod barbare non eſſet dictum, non putabant Ariſtotelium. Quod praecipuum ſcriptoris munus duxit ſenſum animi apertiſſime exprimere, ac necubi lectorem morari, non dubitavit nomina cum praenominibus ſaepius repetere, & iterare quidquid detractum adſerret aliquid obſcuritatis, etſi gratiam augeret. Nec elegantia ſolum, ſed etiam omni lepore atque feſtivitate affluebat, cum vellet narrationibus movere riſum, ſive mendaciunculis, quod vere narrare poterat, adſpergeret, ſive fingeret. Temporis autem, loci & perſonarum ratio, & ipſius joci moderatio & temperatio diſtinguebat philoſophum a ſcurra. Dixiſſes hominem

(1) Svet. in vita Aug. 86. Vid. Redi epiſtol. Tom. IV. p. 146. Venet. edit.

ore, vultu gravem, & ferme ſeverum minime ad jocum fuiſſe factum: verum ejus facetiae non in re, ſed in verbo erant poſitae. Permulta acute & ſalſiſſime dicta inveniuntur in ejus familiaribus epiſtolis; quarum plures nos quoque edidimus (1). Atque haec omnia quidem, quae a me dicta ſunt de Redii elegantia atque eruditione, ſic accipi volo, ut non modo laude, ſed etiam admiratione, praeſertim ſi tempora, quibus ſcripſit, inſpicias, digna judicentur. Quod ad res, de quibus ſcripſit, quamvis ſint & magnitudine praeſtabiles, & novitate primae, non ita tamen ſunt propriae illius, ut competitores, a quibus fuerit victus, non habeat. Malpighius certe, qui haec naturalis hiſtoriae ſtudia paullo poſt Redium excolenda ſuſcepit, longius in iis proceſſit; & ſi a Redio vincebatur prudentia in medicina facienda, illum quidem plurimum ſuperabat rerum anatomicarum ſcientia, & magnitudine quadam ingenii prorſus ad inventa facti. Se ab eo cupiviſſe laudari aperte & ingenue aliquando confeſſus eſt Redius;

(1) Inter epiſtolas Laurentii Magalotti, & in vol. II. *delle lettere inedite degli uomini illuſtri*,

nec celebratus modo fuit, ſed etiam conſultus de rebus ad medicinam pertinentibus. Omnes quidem, qui magnum aliquid memorandumque fecerunt, venia digniſſimos judico, ſi, tanquam mercedem laborum, laudes laudatorum virorum expetunt. Gloria enim virtuti reſonat, tanquam imago; quae quia recte factorum plerumque comes eſt, non eſt bonis viris repudianda. Qui ingenuis ſtudiis artibusque delectantur, expectabunt a me, ut commemorem quoque Redium perſtudioſum fuiſſe muſices & picturae, & omnia honeſta dilexiſſe, quae cum hominum utilitate & voluptate eſſent conjuncta. Omnino neſcire videbatur quid eſſet otium, quid quies, quid denique illud iners quidem, jucundum tamen nihil agere, nihil eſſe; adeo multa & diverſa ſtudia illius animum occupabant. Dum ruſticaretur cum Magno Duce ſemper aliquid ſcribebat & inquirebat, quod ad hiſtoriam naturalem pertineret, cui rei indicio ſunt plures ejus familiares epiſtolae, quae diverſorum animalium naturam & fabricam accurate deſcribunt (1). Neque ſenectus coegit eum a ſuis

ext-

(1) Tom. IV. operum pag. 134. 139. 143. 155. & alibi.

exercitationibus ceſſare: fuit enim ſemper operoſa, & ſemper agens aliquid & moliens; tale ſcilicet, quale illius ſtudium in ſuperiore vita fuit. Porro quid eſt glorioſius ſenectute ſtipata ſtudiis juventutis, decorata comitatu nobilium adoleſcentium, & recordatione ſuſtentata pure, utiliter & eleganter actae aetatis? Itaque nihil ſe habere dicebat Redius, quod illam incuſaret, ac de morte ſic loquebatur, ut aequiſſimo animo hanc expectare videretur (1). Chriſtianus enim animus erigens ſe ſe futuram beatitudinem ita proſpiciebat, quaſi cum exceſſiſſet e vita, tum denique victurus eſſet. Piſis cum moraretur Redius in comitatu Magni Ducis, *in cubili mortuus* inventus eſt mane Kal. Mart. an. MDCXCVIII. Ejus cadaver, ſicuti juſſerat, Aretium delatum eſt, tumuloque conditum cum hac inſcriptione: FRANCISCO REDI PATRITIO ARETINO GREGORIUS FRATRIS FILIUS. Multi ejus caſum deplorarunt, & laudatus publice fuit Piſis, Florentiae, & Romae quoque ab Arcadibus collegis ſuis tum ſoluto, tum numeris vincto ſermone. Extat panegyrica ora-

(1) Ved. Tom. II. 129.

tio, quam de eodem habuit in Academia Furfureorum Antonius Maria Salvinius, qui licet ipſi omnia ſumma tribueret, primum tamen atque univerſum fere argumentum, in quo exultaret oratio, eſſe voluit ejus in amicitia fidem, conſtantiam, humanitatem, benignitatem, quidquid demum hominem homini commendat. Redii quidem praecipua laus fuit ita ſe geſſiſſe in tribuendis officiis, ut non minus a minoribus, quam a Principibus amaretur. Solent plerique dum verentur ne gratiae potentium nimium impertiri videantur, ſiniſteritatis atque etiam malignitatis famam conſequi. Sed ab hoc vitio aberat longius Redius; neque minus eos oderat, qui intolerantius ſe jactant, & aequabilitatem communis juris praeſtantia dignitatis aut fortunae ſuae tranſeunt. Atque ex multis amoris & exiſtimationis ſignis, quae habuit Redius a Coſmo III, illud maximi facere videbatur, quod tribus numiſmatibus a peritiſſimo artifice Maximiliano Soldanio elaboratis, aeternitatem immortalitatemque, ut ipſe ajebat, ſibi donaverit. Profecto ſi idem ſtudium eſſet Principibus omnibus ornandi claros viros gloriolae inſignibus,

non adeo langueret juventus, & perinde, atque deberet, in laudis & famae cupiditate verſaretur.

OPERA EDITA.

T. I. In referendis Redii operibus eum ſequemur ordinem, quo diſpoſita fuerunt a Gabriele Hertio Typographo, cum eadem Venetiis ederet an. 1712. adjuvante maxime Antonio Valiſnerio.

Eſperienze intorno alla generazion degl' inſetti. Haec experimenta edita primum fuere Florentiae an. 1668. in 4. Ex Italico in Latinum converſa fuere ab Andrea Friſio, & edita Amſtelodami an. 1671. in 12.

Oſſervazioni intorno agli animali viventi, che ſi trovano negli animali viventi. Liber hic prodiit primum Florentiae an. 1684. in 4.

Oſſervazioni intorno a' pellicelli del corpo umano. Hae obſervationes nomen prae ſe ferunt Jo. Coſmi Bonomi, editaeque ſunt Florentiae an. 1687. Joſephus Lanzonius eas Latinas fecit.

T. II. Eſperienze intorno a diverſe coſe naturali e particolarmente a quelle che ci ſon portate dall' Indie. Opus iſtud typis impreſſum primum fuit Florentiae an. 1671., ſecundo vero Amſtelodami an. 1675., cum in Latinum ſermonem converſum ab Andrea Friſio fuiſſet.

Oſſervazioni intorno alle vipere. Liber impreſſus primum Florentiae fuit an. 1664. Converſus etiam in Latinum fuit, relatuſque cum aliis Redii operibus inter Miſcellaneas Germanicae Academiae Curioſorum.

Lettera ſopra alcune oppoſizioni fatte alle oſſervazioni intorno alle vipere. Haec epiſtola edita primum Florentiae fuit an. 1686. Ipſa quoque Latinitate donata fuit ab Andrea Friſio.

Oſſervazioni intorno a quelle gocciole e fili di vetro che rotte in qualſiſia parte tutte quante ſi ſtritolano. His quoque locus datus eſt inter Miſcellaneas Academiae Curioſorum.

Eſperienze intorno a quell' acqua che ſi dice che ſtagna ſubito tutti quanti i fluſſi del ſangue, che ſgorgano da qualſiſia parte del corpo. Haec experimenta primum exiere in lucem Romae: *Giornale de' Letterati di Roma dell' an. 1673. 31. Agoſto.*

Lettera intorno all' invenzione degli occhiali al Sig. Paolo Falconieri. Hanc epiſtolam Sponius in Latinum convertit, ediditque Lugduni an. 1683. cum aliis ſcriptis ſuis. Edita ſecundo Florentiae fuit an. 1690. nonnullis in locis aucta & emendata.

Eſperienze intorno a' ſali fattizj. Haec experimenta in lucem emiſſa primum fuere a Scriptoribus *del Giornale de' Letterati di Roma an. 1674. 30. Maggio.*

Lettere varie familiari.

Etimologie Italiane tratte dalle origini della lingua Italiana di Egidio Menagio.

T. III. Bacco in Toſcana colle annotazioni.

Sonetti. Horum Epigrammatum magnificentiſſima eſt editio Florentina, quam faciendam juſſit Ferdinandus Princeps Mediceus an. 1702.

Giunta di varie poeſie.

T. IV. Lettere. Quaedam harum epiſtolarum impreſſae fuerunt *ne' ſupplementi al Giornale de' Letterati d' Italia.* Plures etiam edidit Facciolatus in *Ortografia moderna Italiana.* Nunquam

ſatis laudari poſſunt hae Redii familiares epiſtolae ob ſermonis elegantiam, & ob eruditionis & doctrinae copiam. Ex his multa intelligi poſſunt ad Redii vitam pertinentia; quot & quam illuſtribus ipſe floruerit amicitiis, quantaque in opinione doctrinae fuerit vel apud exteros Principes. Ludovicus XIV. Galliae Rex Redii Dithyrambum ad ſe mitti curavit; Chriſtina Svecorum Regina Redium quamvis abſentem inter Academicos ſuos legit cum ſingularibus declarationibus amoris atque exiſtimationis, quae & alia hujuſmodi multa ſatis indicant quam illuſtris & pervagata illius fama eſſet. Nomen etiam ejuſdem ut multorum celebratum & illuſtratum eſt ſcriptis. Salvinus Salvinius in commentariolo, quod de vita Redii ſcripſit, illos nominat omnes, qui Redio ingenii monumenta dedicarunt. Cum dono accepiſſet Hertius ab heredibus Redii quaedam hujus ſcripta, his ſe quintum operis Redii volumen confecturum ſpopondit. Qua de cauſſa vero fidem minime liberaverit ignoro. Nos quoque inter Magalotti familiares epiſtolas plures edidimus, quas ad eum Redius ſcripſit. Vid. Vol. I. Flor. 1769. Extant etiam nonnullae Redii epiſtolae in Vol. I. & II. *delle lettere inedite d' uomini illuſtri*: Florentiae 1775.

Conſulti medici di Franceſco Redi. Firenze 1726. per Giuſeppe Manni.

Ipſe an. 1672. edendas curavit ineditas vitas Dantis & Petrarchae, quas Leonardus Aretinus ſcripſerat. Litteras etiam F. Guitonis Aretini typis mandare ſibi propoſuerat, quod tamen non praeſtitit. Sunt qui narrant multa, quae in adverſaria conjecerat Etruſcam linguam, Etruſcorumque Scriptorum hiſtoriam, Graeca Theocriti Idilia, medicinam, & naturalem hiſtoriam illuſtrantia ipſum, paullo ante quam moreretur, in ignem conjeciſſe.

ANGELUS FABRONIUS

JOANNI TARGIONIO S. D.

NON dubito fore multos, Targioni, qui judicabunt ſcriptorem hujuſce commentarioli de vita Joſephi de Papa fuiſſe nimium & tanquam prodigum in extollendis operibus, quae ille philoſophiae conſecravit. Sed hi erunt fere qui praeterita tempora ex ſuis metiuntur, & nihil rectum putant niſi quod acceptae poſt longum iter diuturnoſque labores rerum cognitioni & ſcientiae conveniat. Profecto nihil eſt ſimul inventum & perfectum; & qui ſeverunt aliquid tanquam in inculto & derelicto ſolo, quanquam ipſi minime uberrimos induſtriae ſuae fructus collegerint, operae tamen pretium feciſſe exiſtimandi ſunt, quod ſatum ita diligenter coluerunt, ut inde poſteritas ſuas poſſet augere divitias. Jacuit omnino naturae ſcientia uſque ad Galilaei tempora, ejuſque libri, quaſi hoſpites, errantes homines domum deduxerunt, & ubi eſſent, & quibus itineribus eo, quo intendebant, pervenire poſſent docuerunt. Impreſſa a Galilaeo hujuſque ſectatoribus veſtigia per-

ſecutus eſt Ioſephus de Papa ; & quamvis novis inventis Phyſicam minime locupletaverit, multum tamen luminis attulit ſcriptis ſuis ad noſcendam frigoris & caloris, humidi & ſicci *naturam, cauſſaſque aperuit plurimorum naturalium effectuum, qui ab illa, tanquam a fonte, profluunt. Fuit haec quidem non mediocris laus, ſed illa etiam major, quod illius exemplo, cohortationibus, & auctoritate in primis factum eſt, ut in Etruria revireſceret optima philoſophandi ratio, quae malitia quorumdam potentum ferme exaruerat. Poſtquam enim erepti e vita fuerunt Ferdinandus, & Leopoldus Medicei Principes, quae fuerat olim conceſſa libertas in inveſtigatione veri cum iis extincta eſſe videbatur; ſublata etiam magna ex parte praemia, ceteraque induſtriae incitamenta; & ſi quis majorum gloriae reſpondere ſibi propoſuiſſet revocabatur opera, & machinationibus illorum, qui apud Principem plurimum gratia poterant, a perfecta philoſophia tanquam a libidinis ſcopulo. Haec omnia reputent illi, qui Joſephum de Papa minime ſummorum virorum laudibus dignum arbitrantur, quod ab illius operibus reconditiora quaedam abeſſe videntur. Quid illa tandem? Num vulgaris eſt laus, Joſephum prudentiam tanta cum*

dictionis elegantia junxiſſe, ut ejus libri mirabiliter ſcripti ab omnibus judicentur? In quo magis glorioſum erat elaborare, propterea quod plurimi extitere illa aetate philoſophi, qui dum mandabant litteris cogitationes ſuas, omnem ſibi licentiam permitti volebant, quaſi non vocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem unice deceret eſſe ſapientem. Sed plura perſequi pro defenſione Joſephi de Papa prohibet ſumma bonitas aequitasque cauſſae, quodque, ſi opus erit, te fore illius propugnatorem & patronum non dubito, cujus auctoritas, utpote hominis in omni re phyſica doctiſſimi, maximi apud omnes eſſe debebit momenti ac ponderis. Ipſi vero obſequi quodammodo ſum arbitratus, ſi ejus vitam a Rediana minime ſejungerem. Redium enim, a quo ſcientiam, honores atque fortunas ſe accepiſſe palam profitebatur, ſic dilexit, ut non minorem ex pietate laudem, quam ex doctrina tulerit. Nihil vero tam glorioſum ipſi Redio fuit, quam perpetuum ſtudium erga adoleſcentes, a quibus magni aliquid ſperari poſſe videbatur. Neque enim cuiquam tam clarum ſtatim ingenium eſt, ut poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatorque contingat. Vale. Piſis Kal. Feb. MDCCLXXII.

JOSEPHUS DE PAPA.

JOſephus *de Papa* Emporii, quod oppidum Florentia millibus paſſuum fere XVIII. diſtat, anno MDCXLVIII. kalendis Martii natus eſt patre Marco Ludovici filio, matre Eliſabetha Cannera. Hic ineunte adoleſcentia juſſu patris Piſas demigravit. Nam cum litteris operam daret, fulgere jam in adoleſcentulo viſa eſt magna docilitas ingenii & indoles virtutis. Cum in eam ſe civitatem contuliſſet, quae doctrina & numero litteratorum fere omnes Italiae praeſtaret, primo anno, ut patri obſequeretur, ad juris prudentiam animum adjecit; cumque celeriter acciperet, quae tradebantur, plurimum ſtudii in mathematicis & phyſicis diſciplinis conſumebat. Harum praeceptorem habuit Alexandrum Marchettum. At juris civilis eum brevi pertaeſum eſt, quod cupidiſſimus eſſet perſpiciendi & penitus cognoſcendi conſtructionem corporum, & quibus inficiuntur, morborum cauſſas, &

qua curantur, artem. Itaque audiebat aſſidue Laurentium Bellinium, qui magna cum laude in Academia Piſana anatomen explicabat, & ceteros quoſque medicinae praeceptores. Omnia reliqua tempora, quibus clauſo Lyceo quinque ipſis cujuſque anni menſibus mos eſt feriari a ſtudiis, non animi relaxationi & jucunditati, ut condiſcipuli conſueſcebant, ſed experimentis artis tribuit. Nam Florentiam concedens exercebatur plurimum in praxi medica, Franciſco Redio, qui iis temporibus in Etruria principatum medicinae tenebat, &, cum hic abeſſet, Savona doctoribus. Qua conſuetudine factum eſt, ut Redius captus adoleſcentis humanitate ac doctrina, ei, quem non ſecus diligeret ac filium, omne ſtudium & operam detulerit; annoque MDCLXXI. munus publice tradendi in Academia Piſana logicam impetrarit. Id munus Joſephus annos natus XXIII. facile aſſecutus fuit, quod Leopoldus Mediceus Cardinalis & nobiliſſimus patronus litteratorum nonnullas theſes philoſophiae, quae in experimentis conſiſtit, ab eo paullo ante, cum Alexandri Marchetti auditor eſſet, docte & diligenter editas legiſſet.

Ubi de eo genere ſtudiorum orationem initio habuit, & aggreſſus eſt praelectiones recitare, inque circulos venire, in quibus de philoſophia diſputabatur, ſtatim cognitum eſt, quam ſingulari doctrina & eruditione valeret. Tantum autem in philoſophia a recentioribus auctoribus tradita progreſſum fecit, ut brevi tempore illuſtraretur, atque Piſis quidem ſibi devinciret doctiſſimos viros Laurentium Bellinium, Donatum Roſſettum, Alexandrum Marchettum, & Henricum Noriſium, qui poſtea Cardinalis factus maximo ornamento Eccleſiae Catholicorum fuit. Nam Florentiae, quam in urbem ſtativis feriis quoque anno eum conceſſiſſe diximus, in amicorum numero habuit Carolum Datum, Antonium Magliabechium, Vincentium Vivianium, Horatium Oricellarium, Benedictum Menzinium, Laurentium Magalottum, Petrum Andream Fortionium, Antonium Mariam Salvinium, Laurentium Panciaticum, Jacobum Lapium. Utebatur autem intime Antonio Rillio & Benedicto Averanio, quibuſcum multo familiarius quam cum ceteris perpetuo vixit, quod ejuſdem prope aetatis tota ipſa hyeme & vere

Piſis inter ſe omnia officia amicitiae ſervarent. Neque vero ab externis minus abſens litteris colebatur, quo in numero fuerunt Ciccius de Andrea Neapolitanus juris conſultus peritiſſimus, Stephanus de Angelis, Geminianus Montanarius, Leonardus Capuanus, Pyrrhus Gabriellius, Eſchinardus Bonannius, Paullus Bocconius, Vitalis Jordanius, aliique complures. Hoc quale ſit facile judicare poſſunt ii, qui ipſi doctrinae laude florent, ac norunt ſimiles mores ſimilia ſtudia ſequi. Etſi ſtudioſe ac diligenter logicam explicaret, nihilominus tantum operae dabat ſtudio phyſicarum rerum, quantum praeter ceteros in earum ſcientia editis deinde libris ſe excelluiſſe oſtendit. Quo tempore cum praeclarum Galilaei opus, cui eſt titulus, *Saggiatore*, legiſſet, ac animum advertiſſet ad ea, quae de exterminandis qualitatibus Peripateticorum habet, eaſdem qualitates, quas principes proprietates quatuor elementorum ii philoſophi eſſe pugnant, inſequi coepit, Italice edita Florentiae anno MDCLXXII. epiſtola de natura caloris & frigoris ad Franciſcum Redium. Hoc autem ſenſit: ex igne, & ex ceteris, quae

ardent, corporibus pene innumerabilia minutiſſima & ſubtiliſſima corpuſcula continenter erumpere, & quam celerrime volitare. Haec obvias res, in quarum occultos poros niſu impetuque ſuo pervadunt, pulſare, movere, agitare, texturam luxare, nonnullaſque ex iis particulas auferre. Quare aquam & fluida omnia ebullire, ligna inflammari, liqueficri metalla, ceram &c. Inde repetendam eſſe efficientem caloris cauſſam, cum nihil aliud ſit calor, niſi affectio quaedam ſenſuum, quae ortum ex iis corpuſculis habeat, ubi in poros carnium pervadunt, agitantque fibrillas & nervulos. Itaque calorem eſſe rem, ſeu materiam, quae praeſertim in igne, ſole, ſtellis exiſtit; ſecus vero frigus. Hoc enim nihil aliud eſſe, niſi variam caloris privationem, atque ex acceſſu & receſſu corpuſculorum igneorum ſenſus affici majore minoreque calore aut frigore, quae a Borellio ſe didiciſſe ſcribit. Hoc libro nihil tum eſſe potuit jucundius iis, qui aliquam cupiditatem habebant notitiae frigoris & caloris cauſſarum. Namque non ſolum excogitavit firma ad probandum argumenta, ſed etiam oratione perſpicua, gravi,

copioſa, & optimo ſtylo expoſuit, & pluri-mis, iiſque certis explicavit experimentis. Talem librum ipſe Coſmus III. Etruriae Magnus Dux totum legit, ut judicari poſſit maximo plauſu & approbatione clarorum virorum exceptum fuiſſe, quibus is Princeps permotus e ſummis occupationibus eripuerit ad ejuſmodi lectionem tempus. Ac probatus quidem Franciſco Redio in primis fuit, qui illius exemplum ad Joannem III. Regem Polonorum legendum miſit, & ceteris fere omnibus tum apud Italos eruditionis fama florentibus. Satis eſt nominare Alphonſum Borellium, Carolum Datum, & Geminianum Montanarium, qui Joſephum de Papa in epiſtolis ad eum ſcriptis ſummis laudibus extulerunt. Quo factum eſt, ut hic altiorem in Academia gradum aſcendens philoſophiam traderet. Tunc opuſculum breve quidem, ſed luculentum Italice confecit de luce & igne, ut eximeret quibuſdam hominibus injectos ſcrupulos ac dubitationes, veri ne eſſet ſimilis ſententia abs ſe contra Nicolaum Cabeum Jeſuitam in ſuperiore libro tradita: idem ſcilicet & unum eſſe ignem & lucem. At vigebat iis temporibus Peripateti-

corum contra ſentientium ſchola; quorum diſſenſio, eo vulgato an. MDCLXXV. Florentiae opuſculo, majorem in modum crevit. Nam Joannes Maria Baldigianius Jeſuita ea in urbe contra Joſephi ſententiam argumenta colligere, perque domos nobilium ac potentium virorum, apud quos propter doctrinae & religionis famam plurimum valebat, in medium proferre. Huic Joſephus accurate & copioſe reſpondit, & objecta ſic diluit, ut Baldigianius vehementer Redium rogarit, ne ejuſmodi reſponſa typis traderentur. At Redius etſi Jeſuitae morem geſſit, tamen diſcipuli ſui prudentiam & moderationem animi, quam in ſcribendo adhibuerat, ſuſpiciens, collaudatoque palam magno ejus ingenio, mittere libellum Romam ad litteratos neſcio quos amicos ſuos conſtituit, ut qui vir Joſephus eſſet, intelligerent. Sed is Redii conſilio obſtitit; ratus futurum, ut quae refellendi Baldigianii cauſſa ſcripſerat, ad aliud, quod meditabatur, opus conficiendum ſibi ex uſu eſſe poſſent. Interim, cum nullum detrimentum exiſtimationis feciſſet, mirifice augebatur numerus illorum, qui ad eum diſciplinae cauſſa conve-

niebant; ac poſt non multo ferre coepit virtutis fructum. Nam. Franciſcus Maria Mediceus, poſt. Cardinalis, ſelectiſſimus adoleſcens Coſmi III. frater Florentia anno MDCLXXVII., in hyeme decedens Piſas, propter caeli temperiem, cum veniſſet, Ioſephum de Papa geometriae habuit praeceptorem; cui quidem ſic fuit deditus, ut non ſolum quamdiu ibi commoratus eſt nunquam eum a ſe dimiſerit, ſed etiam ſecum Florentiam deduxerit, & perpetuo quoad vixit cariorem habuerit neminem. Erat enim in eo praeter ſingularem prudentiam, ſumma comitas & affabilitas ſermonis cum nativo quodam lepore conjuncta. Itaque captus ille amore litterarum plures quotidie horas aſſidue Piſis ei diſciplinae operam dabat, ac deinde Florentiae nullum diem praetermittebat, quin a Joſepho praeceptis philoſophicis ac mathematicis erudiri vellet: quod maximae laudis praeceptori fuit tenere regium adoleſcentem ferventi aetate, & allicere. Igitur hujus gratia, magnoque jam merito Joſephus ſuo dictus eſt eodem anno Medicinae Profeſſor in Academia Piſana. Neque ita multo poſt honorificum ſane munus

ſuſti-

ſuſtinuit, ut Annae Coſmi Magni Ducis filiae, quae Electori Palatino nupſit, animum imbueret aliqua notitia phyſicarum rerum. Hic qua prudentia & virtute vixerit, nullum eſt certius indicium, quam quod, cum difficillimo invidiaeque pleno munere fungeretur erudiendi fratrem & filiam Magni Ducis, univerſae regiae domui & aulae eſſet cariſſimus: cumque arte medicinae praeſtaret, etſi quisque ex regia ſtirpe ſingularem haberet medicum, tamen Joſephus arceſſebatur, qui praeſcribebat cuique valetudinis curationem; atque anno MDCLXXXII. Franciſci Mariae, poſtea Magni Ducis Coſmi III., poſtremo Joannis Gaſtonis, qui poſt obitum Coſmi Etruriae imperium cepit, Archiatrus renunciatus fuit. Neque vero ſecunda fortuna elatus ſe ſe quieti aut remiſſioni dedidit. Nam magna aſſiduitate & diligentia habere Piſis in Lyceo praelectiones perrexit, ac domi erudire adoleſcentes cum philoſophia & medicina, tum geometria & aſtronomia, in quorum numero nobiles inter aequales fuerunt Petrus Paullus Sangallius, & Paſchaſius Giannettus. Ac aſtronomiae quidem diſcipulum habuit clariſſimum

virum Joſephum Averanium, quem honoris cauſſa nomino; cumque extremo fere anno MDCLXXX. inſignis cometa apparuiſſet, illius ortum, obitum, figuram, trajectiones atque motus omnes reliquos, nondum Piſis conſtituta ſpecula, diligenter ſimul cum Alexandro Marchetto obſervavit, & diſertiſſimam de iis epiſtolam quinto idus Decembris eodem anno ſcripſit ad Comitem Philippum Ilcium praepoſitum cubiculo Franciſci Mariae Principis Etruriae. At illud in primis eſſe ſibi enitendum duxit, ut alteram contra qualitates Peripateticorum epiſtolam conſcriberet. Hac Florentiae edita anno MDCCXXXI. & Franciſco Redio dicata, complexus eſt ea, quae ad humidi & ſicci naturam explicandam pertinent, Democritum atomorum auctorem ſecutus. Docet corpore nos ſentire humidum, cum aquae humor allapſus extrinſecus tangit cutem, illiuſque minutiſſimae particulae pervadunt in poros carnis, percelluntque nervulos. Tunc novo modo affici ſenſus, exiſtereque humidum. Aquam enim natura eſſe maxime humidam, non autem aerem. Siccum vero natura elementum eſſe nullum, ſed id eſſe

ſiccum, quod eſt expers humidi. Quae ſane opinio etſi pleriſque philoſophis fortaſſe ficta atque vana videretur, multis tamen rationibus, & exquiſitis experimentis a Joſepho de Papa ſic confirmata fuit, ut miram quamdam diſcendi ſtudioſis afferret delectationem, & phyſicae lucem. Initio autem epiſtolae argumenta ille ſuis objecta opinionibus a Joanne Franciſco Vannio & a Daniele Bartolo Jeſuitis graviter confutavit. Sed hujus loci non alienum videtur, qualis animus Vannii & Bartoli in Joſephum fuerit, docere, quo facilius intelligi poſſit, idem omnium Jeſuitarum in Academiam Piſanam fuiſſe ingenium. Vannius philoſophiae praecepta & inſtituta Florentiae juventuti cum traderet, publicas anno MDCLXXVIII. in collegio Societatis habuit diſputationes duas, in quarum una Orlandus, in altera Gherardinius, uterque illius auditor, de editis a praeceptore propoſitionibus diſſeruit. His copioſe & audacius multo impugnabantur tradita a Galilaeo in indicato libro, qui Italice inſcribitur, *Saggiatore*. Quare fiebat, ut dicta quoque recentiorum philoſophorum, & in primis epiſtola Joſephi de

Papa de natura caloris & frigoris recte impugnarentur. Aperte autem, & ſingulatim unamquamque ejus epiſtolae propoſitionem evertere conatus eſt in praeceptionibus philoſophicis, quas diſcipulis dictavit. Neque eo fuit contentus, ſed etiam ex omnibus argumentis, quae pugnare cum traditis a Galilaeo, & a Joſepho de Papa exiſtimavit, librum compoſuit & typis mandavit. Bartolus vero in ſuo de glaciatis humoribus libro, nihil aliud curavit, niſi ut falſa eſſe oſtenderet, quae de iis Joſephus ediderat. In his contra ſe ſcriptis, ſi tantum Joſephum patientem & injurias ferentem dicam, minus quam debeam praedicem, cum ille potius prudentiſſimus & ſapientiſſimus fuerit. Nam cum Vannii liber non modo ceteris litteratis non probaretur, ſed ne ipſi quidem Eſchinardo Jeſuitae (ut ejus oratio, quam Romae habuit in neſcio qua Academia indicio fuit) Joſephus ſilentio & judicio doctorum virorum parere ſibi victoriam maluit, quam editis reſponſis moleſtiam adverſario exhibere, & in periculum ſe ſe inferre perdendae tranquillitatis animi, cui ſumme ſtudebat. Itaque non ſolum ea reſponſa

pluribus & graviſſimis rationibus fulta ſuppreſſit, ſed etiam Vannium laudavit (neſciens quorſum ejuſmodi laus evaderet) litteris ad eum ſcriptis comitatis, & obſequii plenis: cumque aeſtate, quae ſecuta eſt, Florentiam veniſſet, ad eumdem non ſemel, ſed ſaepius inviſit domum, devinctumque ſibi hominem officio & obſervantia putavit. At ille poſt non multo in ſecunda diſputatione adeo magnifice eas litteras explicavit, ut mutaſſe Joſephus ſententiam, aſſenſiſſeque Peripateticis videretur. Hoc quoque ſit Joſephi bonitatis exemplum, quod habere ea de re querimoniam neſas duxerit, ac ſibi, amicis, veritati confirmarit ſe feciſſe ſatis editis, aliiſque, quos deinceps ederet, libris: ex quibus cognoſcere cuique liceret, in eadem ſe ſententia perpetuo manſiſſe. Igitur neque conſcripta a ſe contra Bartolum reſponſa vulgavit, & ob eam potiſſimum cauſſam, quod is non rationibus, ſed aſſertionibus, contemptu, & irriſu rem ſe confeciſſe arbitrabatur. At Peripatetici implacabile odium in philoſophos recentiores ſuſceperant. Namque ante id tempus judicio omnium fere gentium erant in philoſophia principes, tum au-

tem mechanica ratione, qua recentiores magnam partem involutarum obſcuritate naturae rerum facile dilucideque explicabant, factum eſt, ut omnes prope Academiae ad eorum ſocietatem ſe applicarent, & Peripateticos puderet eam ſcientiam neſcire, & diſcere. Itaque tantum bellum adverſus recentiores; & praeſertim Academiam Piſanam exarſit, ut nunquam pari periculo fuerint. Illi ira incenſi, cum intelligerent ſibi cum viris ſtrenuis, omnique doctrina & virtute ornatiſſimis negotium eſſe, inierunt conſilia, non rationibus, quibus modicum valebant, ſed malis dolis, potentiaque Principum tollere novam, & defendere ſuam veterem philoſophiam. Adorti nobiles homines & aulicos, dederunt operam conſiliis clandeſtinis, ut Atomiſtas in ſuſpicionem Principibus, Epiſcopis, Magiſtratibus adducerent, tanquam alia, atque Catholicorum docet Fides, ſentirent. Ajebant nemini ſapientum virorum dubium eſſe, quin brevi tempore vera in Deum religio ſubverteretur, & animi & mores adoleſcentium corrumperentur, ſi ii philoſophi de novarum opinionum commentis diſputare, ſcribere, ac juven-

tuti tradere pergerent. Neceſſum eſſe illorum coercere, & opprimere inſolentiam, jactationem, procacitatem. Penitus ac nimis diu inſederant praecepta Peripateticorum in animis mortalium, adeoque altis radicibus Ariſtotelis erat defixum nomen, ut cuique in religionem veniret. His igitur proſpere res incoepit cedere. Namque Piſis Scotiſta Theologiae praeceptor cogitur, ut ea diſciplina dimiſſa, officium & partes ſcholae Peripateticorum ſuſpiciat, ſubtilique ſuo differendi genere Atomiſtas opprimat. Ad vetera autem ſuſtinenda Galeni placita Senis arceſſitur Piſas, annuo DC. nummorum argenti ſtipendio, Ruſticus Medicus decrepitus ſenex. Bononiae quoque, ut Marcellus Malpighius memoriae prodidit, in recentiorum philoſophiam ſaevitum fuit. Poſtquam enim Capponus doctor contra illos vehementiſſime declamaſſet, collegium Medicorum conſcripſit promulgavitque peculiare edictum, ne quis doctoris laurea decoraretur, niſi conceptis juraret verbis, nunquam ſe veterum auctorum, quos Academia Bononienſis uſque ad eam diem ſecuta eſſet, deſertorem ſectae futurum. Neapoli ve-

to Cantelmus Cardinalis, ejuſque urbis Archiepiſcopus ductus ſtudio religionis, quam Peripateticorum calliditate captus in magno periculo eſſe exiſtimabat, propter licentiam libertatemque differendi ab Atomiſtis invectam, ex ſuggeſtu ſic concionatus fuit, ut populo perſuadere ad veritatem voluerit, eos eſſe homines ſine ulla religione & fide. At Romae aliter Atomiſtis accidit, ſi quid accidit. Nonnulli Medici in numero eorum erant, qui novos philoſophos de labefactata religione accuſabant. Ii ſublimitate doctrinae, qua pollere dicebantur, cum magnam gloriam potiſſimum apud Romanos eſſent conſecuuti, manibus pedibus, ut ajunt, noctesque & dies id ſunt conati, ut auctoritate Pontificis Maximi opera Petri Gaſſendi, ac ceterorum philoſophorum contra Ariſtotelem ſentientium proſcriberentur. Delata cauſſa ad ſelectos judices ex Cardinalium Collegio, in medium protulerunt indicem ejuſmodi librorum. Interceſſit Cardinalis Etraeus, atque apud Collegas contendit, injurium eſſe improbare Gaſſendi opus, hominis integri animi, Galli, Catholici, & licentiam permittere legendi, ſin minus ap-

probare Ariſtotelis idololatrae libros, quibus complures contineri errores & falſas opiniones, ex eodem Gaſſendo cognoſci plane ad veritatem poſſe. Praeceptum illud, cum corporibus ſimul animos interire, ab Ariſtotele tradi: quo ſancto extingui & funditus deleri religionem. Hac ratione ſapientiſſimi Patres adducti, divinaque auctoritate permoti: *traditum a Deo mundum diſputationibus hominum, ut illi non inveniant opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*, conſiliis accuſatorum obſtiterunt. Itaque decreto Innocentii XI. Pontificis Maximi cautum fuit, ne quiſquam auderet voce ſcriptoque reprehendere cenſoria auctoritate eas propoſitiones, de quarum falſitate pronunciatum a Sede Apoſtolica non eſſet judicium. At negligere nonnulli Peripatetici decretum Pontificis Maximi maluerunt, quam tacere. Hi vero quorſum ſpectarent, cum Sotomajor, Scarlattus, Solarius, aliique ſocii collegii Florentini in publicis diſputationibus declaraverunt, tum maxime Niger in concionibus, quas in maxima Aede ſacra ad populum habuit Piſis. Namque hic cum ejulans ſemel clamitaſſet, ſi veterem ſuam

recuperare dignitatem, gloriam, felicitatem cives Piſani vellent, continuo non ſolum a libidine ceteriſque omnibus criminibus deſiſterent, ſed etiam ſuis ex finibus pernicioſas illas, ſanctiſque Catholicorum Eccleſiae dogmatibus contrarias opiniones perpetuum exterminarent, quae in urbis Academia tradebantur; iterum poſtrema in concione in eamdem ſententiam locutus eſt, uſus teſtimonio Paulli Apoſtoli: *contriſtavi vos, ſed non me poenitet.* Interim Joſephus de Papa, poſtea quam vidit non dari ſibi facultatem ſectam Atomiſtarum profitendi, quin Coſmum III. Magnum Ducem, & reliquos Mediceos Principes offenderet, quod Peripateticis faverent partibus, & occaſionem ſuae amplificandae fortunae dimitteret; ſic ſe geſſit, ut ſtudiis obſequeretur ſuis, & regiorum Principum ſine offenſione retineret benevolentiam; Nam etſi quaedam philoſophicarum diſciplinarum praecepta dictando commutavit, tamen omnia explicando dixit eadem. Haec quidem in Lyceo timide & pedetentim conatus eſt, domi vero non modo loqui, ac diſputare libere, ſed etiam impulſu Redii dictare copioſe

ne definite pleriſque diſcipulis nonnullos tractatus in ejus ſectae ſententiam coepit. Atque idoneum tempus ratus conficiendae rei, ad Coſmum Magnum Ducem adiit, & apud eum liberrime prolocutus eſt: Peripateticos aucupari potius ſibi famam obtrectatione philoſophiae recentiorum, quam ſtudere religioni. Ecquod enim haec accipere detrimentum poſſet ex nova ratione naturalium explicandarum rerum, quam neque praeſtantes ſapientia viri, neque Pontifex Maximus reprobarit? Neſcios eſſe Peripateticos ejuſmodi rationis & diſciplinae; quare intelligere magnum ſe exiſtimationis detrimentum hac conſtituta facturos. Qui ſi viciſſent, neminem unum deinceps probabilem in univerſa Etruria futurum medicum. Hac re audita, optimus Princeps aliquantulum placatus animo in Atomiſtas, Joſepho de Papa indulſit, atque delatis in eorum ſectam edictis quidpiam derogavit. Hoc Piſis initium fuit conſervationis frugiferae philoſophiae, hoc robur auctae celebritatis nobiliſſimae Academiae. Neque minus Senenſibus ad colendam philoſophiam atque medicinam recentiorum Joſephus de Papa adjumento

ſuit. Namque eo cum veniſſet an. MDCLXXXV. Franciſcum Principem Mediceum Praefectum provinciae Senenſium ſecutus, & animadvertiſſet Pyrrhum Gabriellium ſtudiis phyſicarum rerum ſic eſſe deditum, ut agendorum experimentorum gratia machinam pneumaticam ſuo ſumptu conſtruxiſſet, illum confirmavit, & aſſidue cum eo de fructuoſá philoſophia & medicina tradenda ſermonem habuit. Petro autem Beringuccio, (qui, cum genere, prudentia, virtute, omnique eruditione clareſceret, educator dictus fuit Joannis Gaſtonis Coſmi III. filii) perſuaſit, ut Creſcentium Vaſellium magni ingenii adoleſcentulum Piſas ſua pecunia mitteret, ac aliquot annos aleret, quo iis diſciplinis apprime erudiretur. Quo factum eſt, ut ea praeclariſſima genera ſtudiorum tum Gabriellii opera conſervata, deinde Vaſellii induſtria ac labore confirmata, maximo ornamento, & utilitati praeſertim Senis forent. Quamdiu ibi Joſephus fuit ad Academias illorum ventitavit; quare attingere coepit Italicam poeticen, quem brevi futurum gravem & ingenioſum poetam judicavit Redius; cognoſcique poteſt ex nonnullis

ejus epigrammatibus Italicis, quae extant. Sermonibus quoque Gallorum & Hiſpanorum ſucciſiva tempora dedit. Sed poetices expers eſſe ſuavitatis maluit, quam heri ſui & Principis Coſmi III. offendere pietatem. Nam poetae minus erant huic probati Duci, quod cum ex illis quoſdam liberius vixiſſe intelligeret, ita eſſe omnes perperam ſuſpicaretur, & eorum carminibus judicaret incendi animos cupiditate liberius vivendi. Cum vero Joſephus latam Senenſium regionem, & oram maritimam Praefectum provinciae in venatu comitatus peragraſſet, ea omnia diligenter animadvertit & notavit, quae ad hiſtoriam naturalem pertinent. Hiſtricem, melem, aliquot pullos luporum, aliaſque captas feras rari generis, anatomes cauſſa, diſſecuit. Ubi ad balneas S. Caſciani venit, ſalubritatem aquarum perſcrutatus eſt, deque iis doctas & diſertas litteras Franciſco Redio ſcripſit. Expoſuit quoque in aliis litteris ad eumdem Redium cetera, quae in venis aquarum majorem in modum calidarum prope vicum Belfortium viderentur admiranda: eumque de gravioribus & periculoſis morbis, quos Senis,

propter egregiam ſui apud cives vulgatam famam, non curare non potuit, quam ſaepiſſime certiorem fecit. Quae fama jam extra fines egreſſa Etruſcorum, ſic pervaſerat per animos longinquarum gentium, ut undique Joſephus de Papa conſultaretur. In iis fuit Joannes Baptiſta Garellius Medicus Caeſareus, qui ab eo de aegra valetudine Ducis Lotharingiae conſilium petiit. Aſtallus vero Cardinalis omni ſtudio a Cardinali Mediceo contendit, ut eumdem mittere Romam vellet, cujus arte Cardinalis Chiſius infirmiſſima valetudine conflictatus ſanaretur: & fuerunt qui eum a Coſmo Magno Duce flagitarunt, ut Innocentio XII. Pontifici Maximo graviter aegro medicaretur. At ſatius ille duxit docere litteris remedia, & non diſcedere a lateribus ſuorum Principum, quibus ſummopere ſtudebat, quam proficiſci in eam potiſſimum urbem, in qua, cum eſſet domicilium orbis terrarum, ſine ſumma invidia atque obtrectatione laudis ſuae mederi Pontifici Maximo, & Chiſio Cardinali non poſſet. Plurima proferre poſſemus, ſed difficile eſt ea perſequi, & non neceſſarium, quod Joſephi conſulta duo

bus comprehenſa voluminibus in manibus ſint Medicorum. Illud unum cognoſci volumus, illum idcirco evocatum Romam fuiſſe, quod jam ibi ab anno MDCLXXXIII. aliquamdiu moratus magnam reliquerat ſui famam non minus felicitate, quam virtute partam. Nam afflictis tum rebus philoſophorum (de quibus ſupra mentionem fecimus) cum in circulum medicorum veniret, in quo de infirma valetudine potentium nobiliumque hominum conſultatio haberetur, maxima ſapientia atque doctrina de parum cognita iis temporibus ratione adhibendarum curationum diſſerebat. Nulla ejuſmodi conſultatio ſine illo habebatur. Erat ſatis in dicendo eloquens, ſuavis & ornatus, neque minus in proponendis remediis promptus, quam in prognoſticis pronuntiandis callidus. Quo factum eſt, ut non ſolum iis, quorum valetudinem levarat, ſed etiam reliquis civibus atque in primis litteratis, Principibus, Cardinalibus merito eſſet cariſſimus. Poſtquam Magni Ducis & regiae domus dictus Archiatrus fuit, Florentia nunquam diſceſſit, niſi proſecutus Franciſcum Mariam Cardinalem fratrem Du-

cis, aut ipſum Ducem, ubi hi Romam petiverunt, aut aulam, ubi haec in aliquam ex amoeniſſimis Mediceis villis, aut Piſas conceſſit, propter miram caeli in hieme temperiem. Hic quamdiu adfuit, etſi propter ſui gravitatem muneris, nullius praelectionis recitandae non haberet poteſtatem, tamen in Lyceum ventitans id perfecit, ut hac ratione initium dignitatis ſuae publice, quoad ejus fieri per aetatem poſſet, non ad oſtentationem teſtaretur; qua animi contentione invitus deſtitit cum ſenuit. Neque tamen unquam ceſſavit ad aedes aegrorum adire, & conſulta praeſcribere. At officium, & partes medici non ſaepe per ſe ipſum ſuſcipiebat: quod eſt ſignum non ſolum obſequii, & obſervantiae erga Principem, ſed etiam diligentiae. Nam & non generatim praeſtare cuique, quod praecipue ad unum aut paucos pertinet, obſequentis & obſervantis debet duci, & potius abundare otio ad proſpiciendum valetudini Principum, quam deficere, non mediocris eſt diligentiae. Interdum conveniebat in eam Academiam, quam *della Cruſca* Florentini vocant. In illam, raro tum beneficio,

cum

cum fuiſſet cooptatus, adeo concinna, eleganti, atque ſententioſa oratione collegis, quod talem tribuiſſent ipſi honorem, gratias egit, ut diu multum de ea a litteratis viris ſaepe mentio ſumma cum laude Florentiae fieret; quare tradita demum typis fuit. Omnia reliqua tempora aut libris legendis, aut conſultis dictandis, vel ſcribendis, aut ſalutandis viſendiſque regiis Principibus tribuebat; & ſi quod ſucciſivum incurriſſet, in ſolitudine conſidebat, qua mirandum in modum delectabatur, expertus difficillimum eſſe nullas animi commotiones oriri ex frequentia conſeſſuque hominum. Igitur paucis admodum, quorum mores a ſuis non abhorrerent, ad eum aditus patebat, ſicut Laurentio Magalotto clariſſimo viro, qui ſingulis noctibus, regio, cui interfuerat, miſſo conſilio, ad illius aedes veniebat; quocum ad noctem ſeram vigilans familiares ſermones conſerebat, eodemque arbitro & judice ſuorum ſtudiorum utebatur, deinde Carolo Rinuccinio, & Joanne Bottario. Nihilo minus amicis Joſephus diligenter officia praeſtabat, quantum animi ſui tranquillitas, & aulae, cui inſerviebat, dignitas patiebatur.

Quin etiam compluribus, quibus rebus poterat, auxilio erat; quod cum faciebat, ſummo ſtudio nitebatur occulere. Qua de re ſatis eſt exempli cauſſa proferre, Petro Michelio ea tribuiſſe, ut plura a parente proficiſci non potuerint. Nam eum multo doctiſſimum hiſtoriae naturalis ſcriptorem, quem noſtram tuliſſe aetatem videor poſſe contendere, non ſolum ſua pecunia adjuvit, ſed etiam multo labore atque induſtria ſimul cum Magalotto effecit, ut gratiam a Magno Duce iniret, eique in ſingulos annos ſtipendium decerneretur. At Joannem Bottarium praecipue, amplius annis XX. habuit cariſſimum: a quo hactenus vivo, optimeque de re litteratorum publica merito maximam partem eorum, quae ſcripſimus, & quae perſequemur reliqua, accepimus in elogio Joſephi de Papa, quod proſa ille oratione Italice compoſuit, Romaeque elegantibus typis Joannis Mariae Salvionii in vulgus edidit. Ei rei fuit indicio inita a Joſepho ratio, ut medica, quae confecerat & penes ſe erant, conſulta, poſtquam ipſe deceſſiſſet, Bottario Romam mitterentur, quem unum ſuperſtitem ceteris ſuis amicis eſſe aſe-

bat, eumque de illis edendis nec ne conſtituturum, quod in homine & doctrinam & fidem & induſtriam magnam videret. Id quale ſit, facile is judicabit, qui foetum ſuum ſic diligit, ut homini niſi probo & fideli illum educandum non tradat. Nihilo ſecius cum intellexiſſet complura ex ſuis conſultis diligenti conquiſitione collecta in Bottarii jam poteſtate eſſe, hujus tandem rogatu inductus ad eum reliqua ipſe miſit, ut ederentur in lucem. Itaque anno MDCCXXXIII, ejuſdem Salvionii typis Romae vulgata fuerunt, ac diſtributa in tomos duos, quorum primum Trajano Aquavivae, alterum Franciſco Burgheſio, utriſque S. R. E. Cardinalibus, Typographus dicavit: quae vehementer probata Joſepho auctori ceteriſque omnibus editio fuit, non autem Veneta parum diligenter paullo poſt facta. Sed hinc cognoſci quidem certe poteſt, magnam tum hominum fuiſſe, quae nunc quoque eſt, ejus operis commendationem. In iis enim multa experientia comparet, multa doctrina: quae qui legat, non multum deſideret abſolutum exemplar diaeteticarum curationum, quas hoc tempore me

dici adhibent praeſtantiores. Sunt vero haec conſulta non amplius CXLI. quod complurium a ſe conſcriptorum exempla conficere Joſephus interdum non potuit propter graves ac multas ſuas occupationes, & neceſſitatem ea per litteras flagitantibus quam celeriter tranſmittendi. Hoc loco ceteros Joſephi libros priuſquam numeremus, libet praecipere lectoribus, ne aetatem, qua ille ſcripſit, cum noſtra conferant, neve ea, quae ipſis comperta ſunt, pari modo eruditis viris eorum temporum fuiſſe arbitrentur. Scimus enim vires naturae, & rationem, qua hae aptae colligataeque inter ſe, & potiſſimum cum geometria ſunt, quaſi per caliginem tam turbido tempore (ſicut ſupra docuimus) paucis philoſophis viſas fuiſſe. Suſpicimus autem non modo inventores rerum atque diſciplinarum, ſed etiam inveſtigatores, & qui earum progreſſionem perſecuti ſunt. Igitur qui percepta habent hujuſmodi praecepta non tam laudibus efferent Arvaei opuſculum de ratione, qua ſanguis circumeat ac diffundatur in omne corpus, Galilaei dialogos de novis diſciplinis, & Vivianii geometricas propoſitiones, quam

Joſephi de Papa tractatum *de humoribus*, alioſque libros. Nam ante annum MDCLXXXIII. quo eum ille Latine confecit, & ad Jacobum Lapum miſit, publice nemo, ut ait Bottarius, ſaltem in Etruria conatus eſt convellere quatuor humores Peripateticorum, quibus fundamenta medicinae continebantur, & Democritea ſubſtruere, atque hominis fabricam, & quae ad medicinam theoricam & practicam pertinent, geometrice explicare. Sed ante id tempus (poſtquam ſingulas epiſtolas de calore & frigore, de humido & ſicco, de luce & igne ediderat) librum de febribus ſcribere inſtituit, quem caput ac principem ipſe credebat ceterorum. Namque in eo expoſuit omnia, ex quibus optimae ars medicinae efficitur, confutatiſque variis & inter ſe diſcrepantibus complurium, qui illuſtre nomen in medicis habebant, auctorum opinionibus, ſucco nerveo, quem *animales ſpiritus* appellamus, naturam & cauſſas febrium attribuit, & multis argumentis docuit. Sed cum ille jam typis mandare librum conſtituiſſet, comperiit maximam ejus partem ab Alphonſo Borellio perſcriptam fuiſſe in opere *de motu ani-*

marium, Romae anno MDCLXXXI. poſtquam Auctor vita functus eſt edito. Itaque perficere aggreſſus eſt, quae a Borellio praetermiſſa videbantur (nam extremam hic operi manum imponere non potuit) ac nonnulla de cordis, & ſanguinis motu in primis ſcripſit: cumque conata ne a ſe quidem perfecta fuiſſe intellexiſſet, fidei vindicum teſtamenti ſui quam diligentiſſime opus commendavit; eos orans atque obſecrans, ut docto cuipiam viro illud transderent, qui perſpiceret, corrigeret, tum denique vulgaret. Quod cum Joſephus Averanius illius amiciſſimus, ac vir doctrinae laude celebris accepiſſet, non eſſe committendum duxit arbitrio cenſorum opus viri clariſſimi, qui explicare ac defendere ſententiam ſuam per ſe ipſe non poſſet. Igitur adhuc occulitur. Sed noviſſimo tempore ex multis opuſculis, quae Italice confecerat, ſexdecim elegit quorum exempla Florentiae, & alicubi extare cognoverat, eaque ceteris crematis edenda Tartinio & Franco Typographis Florentinis tradidit. Itaque omnia uno volumine colligata in lucem nomine Joſephi de Papa prodierunt anno MDCCXXXIV. an-

tequam ille mortem obiiſſet uno. In primo ſphaeram, Ariſtotelem & Ptolemaeum ſecutus, adeo dilucide explicat, ut, omni ſublata obſcuritate verborum, diſcendi ſtudioſi opus praeceptore non habeant. II. continet nonnulla praecepta & inſtituta naturalis philoſophiae, quae capitulatim ſunt dicta, ut iis Anna Medicea adoleſcentula facile erudiretur. III. & IV. epiſtolas de cometa viſo anno MDCLXXX. duas, quarum prima eſt ad Comitem Philippum Ilcium, ut ſupra docuimus, altera data Piſis pridie idus Februarias anno MDLXXXI. ad Marchionem Coſmum Caſtilioneum, qua nullos eſſe cometarum *inſluxus* oſtendit, ac propius accedere ad eam opinionem videtur, quae communis nunc eſt, cometas eſſe planetas, non vero refractiones lucis. V. antiperiſteſim Peripateticorum vacuum nomen. In VI. expoſuit quae ipſe multa meditatione atque experientia perſpexit in ſandaracha ex China ad Magnum Ducem deportata aliquid admirationis habere. VII. diſertiſſimam continet praelectionem de gravitate corporum, contra quam Ariſtoteles ſenſit, quae ſpecimen eſſe poteſt praeſtantiae libri, quem ea de quae-

ſtione, plurimis jam excogitatis rationibus, ſcribere conſtituerat. VIII. falſam fuiſſe opinionem veterum medicorum, ex imo ventre vapores flatuſque poſſe ad caput ferri. IX. gratiarum actionem, quam, ut diximus, in Academia *della Cruſca* habuit. X. rationem expurgandarum mercium peſte ſuſpectarum. IX. literas, quibus epiſtolae Marchionis Chaumontii reſpondit de admirandis in veſica neſcio cujus viri repertis calculis, quam Chaumontii epiſtolam maximae laudi Joſepho de Papa fuiſſe exiſtimamus, quod homo Gallus extraneum appellet non ſolum Italiae, ſed etiam univerſae Europae ornamentum, unumque ex illis, qui aevo ſuo, ſuaeque regioni ſunt honori. XII. & XIII. judicium de totius Etruriae aquis & vinis ſalubrioribus a Carolo tum Infante, nunc Rege Hiſpaniae Liburni commorante bibendis. XIV. legitimam excuſationem decrepitae aetatis, quare non proficiſcatur Liburnum, qua in urbe variolis idem Carolus conflictabatur, deque iis curandis conſultationem. XV. reliqua conſulta, quae ſcripſit, poſtquam edita Romae ea fuerunt, de quibus ſupra mentionem feci-

mus. XVI. poſtremo aliquot epigrammata Italica. Eſt etiam unus liber Italice confectus de induſtria & felicitate in perimendis ac delendis locuſtis, quae magnam partem occupaverant orae maritimae Piſanorum, Senenſium, Volaterranorum, univerſoſque agros Plumbinenſium, Scarlinenſium, & Suveretanorum. At in eo ſuum noluit Joſephus inſcribi nomen, propterea quod imperata Magni Ducis facturus librum quam celerrime confecerit, quin fas illi fuerit in aliquem eorum locorum ſe conferre, ſuiſque ipſe oculis de talium animalium ortu & propagatione judicare. Tali modo cum VI. & LXXX. annos compleſſet, atque ad extremam ſenectutem non minus doctrina quam prudentia creviſſet, ſubito nactus eſt morbum, quem medici putarunt eſſe gangraenam ſiccam. Itaque paucis diebus interpoſitis, cum morbus atque aetas medicamenta viciſſent, III. idus Martias anno MDCCXXXV. Florentiae deceſſit. Elatus eſt pro hominis dignitate honeſto & decoro funere (namque, ut diximus, Archiatrus fuerat Magni Ducis Etruriae) cumque juſta facta ei fuiſſent in Aede S. Felicis, magna ho-

norum frequentia, ibidem in paroecia ſua ſepultus eſt. Quamdiu corpus inibi inſepultum jacuit, appenſa foribus templi honoris cauſſa inſcriptio ab Antonio Franciſco Gorio celeberrimo in Lyceo Florentino hiſtoriae doctore compoſita, quae ita habebat.

JOSEPHO DEL PAPA EMPORIENSI
GRAVISSIMIS DISCIPLINIS
ET INTERIORIBUS LITERIS
ERUDITISSIMO
IN PISANO LYCEO
PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE
CELEBERRIMO PROFESSORI
A STUDIIS SERENISSIMORUM PRINCIPUM
TOTIUS REGIAE MEDICUM DOMUS
ARCHIATRO
QUI AB INEUNTE ADOLESCENTIA
EDITIS EXCELLENTIS INGENII
MONIMENTIS
IMMORTALEM GLORIAM SIBI
COMPARAVIT
IN MEDICINA FACIENDA
PRUDENTISSIMUS
HUJUS AMPLISSIMAE CIVITATI
TOTIUS ITALIAE PROCERUM
SALUTI CONSULUIT
INCOMMODAM QUA SEMPER FUIT
VALETUDINEM
AD OCTOGESIMUM SEXTUM VITAE ANNUM

REI MEDICAE SCIENTIA
SUBSTENTAVIT
SINGULAREM DOCTRINAM
MORUM INTEGRITATE
INNOCENTIA VITAE
HUMANITATIS SUAVITATE
CUMULAVIT
QUICUMQUE TEMPLUM INGREDERIS
AETERNAM PRECARE FELICITATEM.

Corpore fuit gracili, ſtatura mediocri, vultu tranquillo & ſereno, ex quo & ex obtutu oculorum apparebat quidpiam aſſidue ſecum cogitare. Animi ſenſum facile oratione explicavit, ſecutus eloquendi genus elegans: quotidiano ſermone tempeſtive facetus, vitatis ſententiarum ineptiis. Conſuetudinem & familiaritatem amicorum ſic coluit, ut cum nulli moleſtus eſſet, excellentiores ſapientia, & virtute praecipue diligeret. Uxorem nunquam duxit, libertatis & tranquillitatis, quam ſtirpis & familiae cupidior, alienoque ſemper animo ab amore venereo. In aula ita verſatus eſt, ut obſervantia omnibus carus, neque ſe aulicis fluctibus committeret, neque honores peteret, neque elate ſe gereret, cum ſuſpiciones quoque vitaret invidiae; atque o-

ſtenderet ſe non fortunae, & tempori ſervire, ſed Principi. Cumque maxima doctrinae laude floreret, nihil neque inſolens, neque glorioſum ex ore ejus exiit, quod prudentia iram reprimeret, reſque humanas omnes divino numine agi, fide Catholica crederet. Deum ſumma religione coluit. Adeo diligens veritatis, ut temere laudaret neminem. Prudens & attentus paterfamilias habitus eſt, ſed parum liberalis, etſi abeſſe videretur a cupiditate pecuniae, veritus ne ſi eleganter ac ſplendide ſe gereret, in aliquam animi perturbationem incideret, & valetudinis faceret jacturam ſuae. Id cum difficillimum ſit judicare, ea credimus vixiſſe moderatione, ut collectis opibus magis ex uſu eſſe Patriae poſſet. Nam teſtamento Emporium heredem fecit: qua de hereditate nummûm argenti LXXXX. millium juſſit, ut in primis bonarum artium praeceptores, iique docti, pacta mercede, conducerentur; deinde ejus oppidi adoleſcentuli bona indole praediti, qui in aliqua celebri Academia ſtudiis litterarum dare operam vellent, quibus rebus indigerent, adjuvarentur; tum pleraeque pauperes virgines dotibus datis aut

collocarentur, aut pudice alerentur. Poſtremo nonnulla legata Emporienſibus ſalutaria varie dedit, nonnulla amicis. Itaque vindices teſtamenti, ut Joſephi de Papa memoria maneret, illius effigiem marmore inciſam a Joſepho Piamontino in ſuperiore ſepulcri parte poſuerunt, cum inſcriptione a Bottario confecta, quae eſt hujuſmodi:

JOSEPHO DE PAPA EMPORIENSI
IN HUMANIORIBUS LITERIS
ET IN GRAVISSIMIS DISCIPLINIS ERUDITISSIMO
IN PISANO LYCAEO PHILOSOPHIAE PRIMUM
DEINDE MEDICINAE
PROFESSORI CELEBERRIMO
REGIAE MEDICEAE DOMUS ARCHIATRO
IN MEDICINA FACIENDA
MATHEMATICISQ. RATIONIBUS EXPLANANDA
PRUDENTISSIMO DOCTISSIMOQUE
VIRO ANTIQUA PROBITATE
ET OB INGENII MONUMENTA
HAEREDITATEMQ. IN PATRIAE UTILITATEM
SAPIENTI TESTAMENTO COLLOCATAM
IMMORTALI
CURATORES HAERED.
P.
VIX. AN. LXXXVI. OB. CIƆIƆCCXXXV.

OPERA EDITA.

Lettera intorno alla natura del Caldo, e del Freddo ſcritta all' Illuſtriſſimo Franceſco Redi Gentiluomo Aretino dal Dottore Giuſeppe del Papa da Empoli Lettore di Logica nell' Univerſità di Piſa. In Firenze per Franceſco Livi 1674. *in* 8.°

Lettera nella quale ſi diſcorre, ſe il Fuoco, e la Luce ſieno una coſa medeſima, ſcritta all' Illuſtriſſimo Signor Franceſco Redi dal Dottor Giuſeppe del Papa Lettore ſtraordinario di Filoſofia nell' Univerſità di Piſa. In Firenze 1675. *in* 8.

Della natura dell' umido, e del ſecco lettera all' Illuſtriſſimo Signor Franceſco Redi ſcritta da Giuſeppe del Papa da Empoli Profeſſore ſtraordinario di Medicina Pratica nell' Univerſità di Piſa. In Firenze per Vincenzo Vangeliſti 1681. *in* 4.

Relazione delle diligenze uſate con felice ſucceſſo nell' anno 1716. *per diſtruggere le cavallette, le quali avevano ſtranamente ingombrato una gran parte delle maremme di Piſa, di Siena, e di Volterra, e tutte le campagne di Piombino, Scarlino, e Savereto; nella Stamperia G. Ducale* 1716. *in* 4.

De Praecipuis humoribus, qui humano in corpore reperiuntur, deque eorum hiſtoria qualitatibus & officiis exercitatio Joſephi del Papa Regiae Celſitudinis Joannis Gaſtonis Magni Ducis Etruriae Archiatri, nec non in Piſana Univerſitate Publici Medicinae Profeſſ. Florentiae 1733. *in* 4.

Conſulti Medici del Signor Dottore Giuſeppe del Papa Archiatro della Corte di Toſcana, e pubblico Lettore di Medicina nell' Univerſità Piſana ec. Tom. I. e II. in Roma appreſſo Giovanni Maria Salvioni 1733. *in* 4.

Trattati varj fatti in diverſe occaſioni dal Dottore Giuſeppe del Papa primo Medico dell' Altezza Reale del Sereniſſimo Granduca di Toſcana. In Firenze 1734.

ANGELUS FABRONIUS

BARTHOLOMAEO BIANUCCIO SUO S. P. D.

SUnt nonnulli adeo antiquitatis amatores, ut omnia in veterum philoſophorum ſcriptis ſe invenire poſſe ſperent; leges ipſas, quibus corpora omnia ſe ſe viciſſim pertrahunt, omneſque materiae partes in ſe invicem tendunt, quidquid demum Keplerus, Galilaeus, & Newtonus feliciter excogitarunt ad mundi ſyſtema explicandum, renovatum potius, quam inventum eſſe affirmantes. Nihil quidem, mea ſententia, injuſtius, quam ex obſcuris quibuſdam verbis, quae caſu magis quam conſulto veteres ſcriptores fudiſſe videntur, ad minuendam recentiorum gloriam ea velle deducere, quae hi diuturna atque infinita prope meditatione ac labore, tanquam fundamenta ſcientiae, conſtabilivere, ex quibus multarum cauſſarum ſeriem atque colligationem perſpicere poſſemus. Permulta licet exempla ab iis corporibus repetita, quae totius terrae ambitu continentur, docuerint veteres inſidere ipſis corporibus gravitatem, longiſſime tamen ii abfuerunt, non ſolum ab intelligentia, ſed etiam a ſuſpi-

cione earum rerum, quae mirabilibus Newtoni inventis materiem dederunt. Ad haec obtinenda neceſſe fuit caeleſtes peragrare regiones, caeli converſiones atque aſtrorum curſus diligentiſſime conſiderare, ut ex tot ingentibus variiſque motibus gravitatis mores perſpicerentur, tantique muneris fides eluceret. Quae ille cum diu multumque intellexiſſet, cum conſtare omnia cerneret, ſingularumque rerum exemplis ac teſtimoniis comprobari, tum vero ad cetera corporum officia gravitatis acceſſionem fieri oportere minime dubitavit, ejuſque legibus, tanquam vinculis, teneri omnia, ac coaleſcere. Quam ingens inde ac mirificus rerum ordo emanavit, cum errantium ſiderum motus, veris atque autumni anteceſſiones, accedentis ac recedentis Oceani aeſtus, telluris ipſius figuram ac conformationem ex una eademque cauſſa naturaliter proficiſci videremus! Quae quidem talia ſunt, ut denegari laus Newtono minime debeat, ſicuti in plurimis rebus, ita in explicandis gravitatis viribus fuiſſe inventorem & quaſi architectum veritatis. Quid illa de luce? Quamvis Platonis diſcipuli (Ariſtotelem excipio) non ignoraſſe videantur lucem recta propagari linea, & angulos, ut loquuntur, incidentiae aequales eſſe angulis refle-

xio-

xionis, & quaedam haud prorſus contemnenda de refractionibus Ptolemaeus protulerit, laus tamen propria Newtoni fuit opticam non dicam ab obli-vione vindicaſſe, ſed omnino genuiſſe. Cum enim omnia ad experientiam revocaſſet, nova prorſus, ac prorſus miranda luminis phaenomena detegere ac confirmare potuit, refractionum inaequabilita-tem, radiorum in eamdem ſuperficiem iiſdem an-gulis incidentium alternae reflexionis ac tranſ-miſſus vices, varias radiorum prope corporum ip-ſis objectorum extrema parvo intervallo tranſeun-tium inflexiones, proprios & conſtantes ſingulorum radiorum colores, varietateſque, quae ex varia eo-rumdem admixtione oriuntur; ex quibus tanta ſu-bito lux, verique ſpecies enituit, ut nihil amplius eſſe videatur in minimis hiſce rebus, atque a ſen-ſuum uſu remotiſſimis, quod non optime ſit nobis cognitum atque perſpectum. Harum quidem & ſi-milium rerum veſtigia, ac demonſtrationes fruſtra in veterum ſcriptis quaeſiveris. Sed quoniam ſae-pe uſuvenire videmus in praeſtantioribus rebus, ut paullatim ſuos quaeque gradus faciant, priuſquam abſolutam praeſtantiam maturitatemque conſequan-tur, hinc operae pretium ſemper putavi diligen-ter inquirere quid magnis inventis occaſionem de-

derit, quaeque ipſi rerum inventores ab aliis ſubſidia habuerint. Succlamatum eſt & frequenter a Jeſuitis plurimum valere ad imminuendam Newtoni gloriam opus, quod de lumine ante illum ſcripſit Franciſcus Maria Grimaldius; hunc praeoccupaviſſe & vidiſſe multa, & ejuſdem ſaltem laudis in difficillima tractatione & glorioſa inventione participem eſſe debere. Quid porro praeſtiterit Grimaldius diligenter & accurate exponemus, ut quilibet per ſe facile judicare poſſit qua in re ipſe palmam tulerit. At ſemper illud fixum & ſtatutum eſſe oportet non poſſe quem ad inventoris gloriam aſpirare, niſi omnes inventae rei partes, principia, ordinem, colligationem, munera, vireſque noverit, & optimo in lumine collocaverit. Quod ut aliis exemplis comprobemus, recordari juvat haud ignotum fuiſſe Andreae Caeſalpino ſanguinem a dextro cordis ventriculo per pulmones circuire, & a vena arterioſa ad arteriam venoſam, indeque ad ſiniſtrum cordis ventriculum tranſire; ſed cum ipſe non ultra proceſſerit, quidquam minime detraxiſſe videtur de gloria Harvaëi, qui merito ſanguinis circuitus per univerſum corpus inventor ab omnibus praedicatur. Eadem ferme dici poſſunt de Bartholomaeo Euſtachio, qui quamvis narret ſe

obſervaſſe in equis canalem plenum albae materiae dorſo haerentem, quia tamen ignoravit quaenam eſſet haec materia, ubi is ductus inciperet ac finiret, an recta pergeret ad cor, quibuſque uſibus illum natura deſtinaverit, non videtur laudem ullam habere poſſe communem cum Pacqueto, cui unice gloria debetur inveniſſe chyli ductum, ejuſque mirabilem uſum omnibus pateſeciſſe. Non deſunt, qui ad minuendam Hallerii gloriam indicia quaedam ſatis clara irritabilitatis, ut vocant, apparere dicunt non ſolum in Stenonis, Bellinii, & Baglivii, ſed etiam Hippocratis & Virgilii ſcriptis, quod temere atque injurioſe ab iis affirmari probat vir phyſica doctrina praeſtans Tiſſotius (1), cujus èx ſententia Hallerius non minus irritabilitatis, quam Newtonus attractionis inventor dicendus eſt. Non ab re putavi, doctiſſime Bianucci, haec tecum proloqui, priuſquam ad Grimaldii vitam narrandam accedam. Nolo enim quis putet me derogari aliquid velle de dignitate Newtoni, cum Grimaldium extulero in iis, quae de lumine ſcripſit. Ille enim in Philoſophia archite-

(1) Vid. Tiſſot *Diſcours preliminaire aux Diſſertation ſour e parties irritables des animaux par M. Haller. Lauſanne* 1755.

ctus, molitor, effector dicendus eſt, qui ea, quae ſumma ac praecipua erant, invenit atque abſolvit, cetera item, quae tenuiora eſſent, adumbravit, ac aliis excolenda reliquit, atque ita idem omnia & inchoaſſe & perfeciſſe videri poſſit. Tu interea velim quid de hoc commentariolo pro tua in omni re phyſica praeſtantia ſentias, ad me diligentiſſime perſcribas; neque enim dubito illud ipſum ſi tibi ſe probaverit, omnibus fore probatiſſimum. Vale.

Piſis Id. April. MDCCLXXIX.

FRANCISCUS MARIA GRIMALDIUS.

POſtquam ſuperiori libro Joannis Baptiſtae Ricciolii vitam explicavimus, multi a me exigere viſi ſunt, ut de Franciſco Grimaldio ſeparatim quoque ſcriberem, quocum uſu, conſuetudine, ſtudiorum etiam honeſtiſſimorum ſocietate Ricciolius ipſe conjunctus fuit. Et ſane nulla mihi juſta eſſe poterat cauſſa id recuſandi, quod Grimaldius etſi varietate & copia eruditionis vinceretur a Ricciolio, illum tamen multum anteibat omni doctrina phyſica & mathematica, & lenta quadam conſiderataque prudentia, qua & ſtudia ſua, & omnem vitae actionem moderabatur. Natus is eſt Bononiae an. MDCXVIII. IV. Non. Apriles; & ſi munus illud fortunae fuit, quod patriam habuerit humanitate & antiquitate praeſtantem, & doctiſſimorum virorum parentem & altricem, hoc ſpecimen prudentiae, quod ea ſtudia potiſſimum excolenda ſuſceperit, quae tum majori parti hominum, & Jeſuitis

praeſertim, quibus adſcribi an. MDCXXXII. collega voluit, utilitate licet praeſtantiſſima, minime probarentur. Hi enim certis deſtinatiſque ſententiis quaſi addicti & conſecrati, vel ipſam veritatis lucem, tanquam religioni inimicam, adſpicere verebantur. Dici vero ſatis non poteſt quanta voluptate complecretur Grimaldii animus, & quam pulcherrime ferret magnos labores in ſignorum ortu & obitu, acceſſibus & receſſibus ſiderum, conjunctionibus, propinquitatibus, & intervallis obſervandis notandiſque, & tanquam in ſedem Dei admitteretur, ardebat deſiderio ex illo omnis boni veritatiſque fonte aliquid ad communem hominum utilitatem derivandi. Nec aſtronomus modo, ſed peritus quoque artifex erat eorum inſtrumentorum, quibus uti debebat, & quod mireris quadrantem ſatis accurate diviſum ſibi confeciſſe teſtis eſt locupletiſſimus Jo. Dominicus Caſſinius. Hae praecipuae exercitationes ingenii, haec curricula induſtriae ſummi viri fuerunt, prae quibus minime commemoranda eſſe putamus munia, quae habuit a majoribus ſuis tradendi adoleſcentibus tum humaniores litteras, tum e-

lementa geometriae ac philoſophiae, quanquam eidem minime cura in illis exequendis defuit. Multa ſimul verſabantur Grimaldio ante oculos, ſed hos praeſertim conjiecit in lunam, in qua habitari facile cum Galilaeo credebat. Lunares autem regiones ſic peragravit, ut propriis nominibus illas diſtinguere ſe poſſe putaverit. Qua in re non tam aſtronomiae, quam celebriorum aſtronomorum, phyſicorum, mathematicorum, aliorumque hominum gloriae ſervire voluit. Horum enim nominibus, tanquam certis ſignis, notavit deſcripſitque praecipuas, quas obſervaverat, lunae partes. Haud multa poſt Hevellius nova nomina ex geographia petita iiſdem impoſuit, vel novitatis amore, vel quod verebatur, ne praetereundo quoſdam dignos viros iis injuriam facere videretur. Sed recentioribus aſtronomis nomina a Grimaldio data retinere placuit; cumque haud amplius lis ſit de nomine, illud unice ambigendum videtur, an lunaribus maculis vere quaedam ſit ſimilitudo cum mari, & terrae quibuſdam partibus eminentibus a mari. Illarum quidem ſpecies & forma adeo mutatur pro varia tele-

ſcopiorum, quibus conſpiciuntur, perfectione, pro varia lunae a ſole diſtantia, & praeſertim pro vario ſolis ipſius poſitu, ut eaedem maculae vix agnoſci poſſint. Non reſpuit Grimaldius dicta illorum philoſophorum, qui putabant multa ab luna ad nos manare & fluere, quibus & animantes alantur augeſcantque, & pubeſcant maturitatemque aſſequantur, quae oriuntur a terra. Vetus erat opinio aeſtus maritimos ortu & obitu lunae commoveri; renovaſſe illam plurimiſque argumentis confirmaſſe videbatur Schirlacus de Rheita e Cappuccinorum familia; ſed protulerunt multa Ricciolius & Grimaldius, quibus ſatis firmam ſententiam ſe labefactare poſſe ſperabant. In tanta rerum aſtronomicarum & phyſicarum incertitudine facile erat in errorem labi; nec male mereri de nobiliſſimis facultatibus ii videbantur, qui lucis aliquid vel errando hominibus atttuliſſent. Non licet enim uno eodemque temporis momento veritatem aſſequi, quae latens in occulto lente, patienter, & etiam faſtidioſe inquirenda eſt. Id praeſertim intelligi poteſt ex iis, quae Grimaldius de lumine ſcripſit, in quo non licet

ſtatis ſingularem hominis patientiam & acumen admirari. Rem quidem magna & diligentiſſima contemplatione digniſſimam putavit, quanquam non dubitabat fore pleroſque, quibus honeſtius videretur errare, duce Ariſtotele, quam ſe magiſtro erudiri. Cum igitur hac in re plena errorum eſſent omnia, cumque tum homines ſuis maxime delectarentur erroribus, ſtuduit eos ratione & experientia, ipſiuſque veritatis judicio convincere. Quoniam vero omnes alicujus argumenti partes, atque omnia membra tum facile noſcuntur, cum totae quaeſtiones ſcribendo, explicantur; hinc LX. uſque propoſitionibus expoſitis, effecit Grimaldius, ut eſſet mira quaedam continuatio ſerieſque rerum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptae colligataeque eſſe videantur. Diu opus in manu habuit, quam cunctationem varietas & magnitudo rerum deſiderabat. Cum vero de illo edendo cogitaret, mortem obivit, in hoc gratulans ſibi, fore ut qui opus poſthumum lecturi eſſent, recordarentur illud Homericum

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι

Profecto perpauci illud comprobavere; quantoque in pretio eſſet habendum, tum ma-

xime eſt cognitum, quando veritas de rebus ad opticam pertinentibus coepit apparere. Ad molliendos Peripateticorum animos, quos ſe offendiſſe putabat eorum ſolemnioribus de luce confutatis opinionibus in prima operis parte, ſecundam ita contexuit, ut non ſolum diffidere ſuis experimentis atque argumentis, ſed & eadem retractare velle videretur. Quod timiditatem potius quam inconſtantiam appellaveris. Nam, ut diximus, cum Jeſuitae omnes ſolemnibus pene verbis jurare ſolerent in verba Ariſtotelis, ceterorumque Peripateticorum, iniquo tuliſſent animo eſſe inter ſuos, qui ad eorum dogmata convellenda unice accommodaſſet orationem. Sed ut floſculos, illos quidem caeno oblitos (tanta eſt quaeſtionum, quae ſaepe in medium afferuntur, inſulſitas, tanta dicendi diſputandique barbaries) carpam atque delibem, illud affirmare non dubitabo Grimaldium, quamvis minime aſſecutus ſit veram lucis, quam dicimus, theoriam, ea tamen protuliſſe experimenta, quae repetita a Newtono, multiſque modis confirmata, illius jeciſſe fundamenta videntur. Neque in magna laude non ponendum, quod iis tem-

poribus, quibus ubique ſcholaſtica diſciplina dominabatur, lucem eſſe corpus immenſaeque ſubtilitatis agnoverit, eamdemque maxima, finita tamen, velocitate e loco ad locum deferri, materiam ab ipſa luce minime penetrari, colores non in corporibus, at in ipſa luce exiſtere, hanc prope corpora tranſeuntem aliquantulum a prima via declinare; nec non in refractione & in diffractione luminis, quin & aliquando in reflexione ſub diverſis eamdem coloribus apparere; hos autem, tum quos permanentes, tum quos emphaticos appellamus, diverſae non eſſe naturae, & ab eodem pendere principio; lucem a denſiore medio in minus denſum oblique tranſeuntem magna ex parte reflecti, atque alia praeterea bene multa in ipſo operis curſu, cum ſe ſe offert occaſio, non ſine magno ingenii acumine animadverſa. Hujuſmodi ſunt, quae pertinent ad poros innumerabiles, quibus omnia ſcatere corpora oſtendit, ad miram & prorſus incredibilem materiae ſubtilitatem, nec non ad aquae aſcenſum in tubis capillaribus, cujus phaenomeni explicationem, ſi voci *viſcoſitatis*, quam uſurpat, vox *attractionis* ſubſtituatur; ab explicatione

magni Newtoni vix ac ne vix quidem differre dixeris. Quod ſi haec etiam ſilentio praetereantur, geometrica eorum, quos in iride ſuſpicimus, effectuum ſane mirabilium enodatio ad aeternitatem nominis Auctori noſtro aſſerendam vindicandamque ſufficeret. Sed vir modeſtia ſingulari ob haec nec laudem, neque gratiam aut exigebat, aut deſiderabat. Magis quam immortalitatem nominis, mortalitatem ſuam cogitabat; & quamvis ſemper praeclarum aliquid & immortale meditaretur, non oportere tamen brevem vitam caducis laboribus nimium diſtineri contendebat. Nihilo tamen minus quod Ricciolio omnino adhaereſcere ſibi propoſuerat (nam cum omnibus virtutibus abundaret, tum hac praecipue, quod habebat maximam in amicitia conſtantiam) interdum magnitudine rerum mandatarum non occupabatur modo, ſed etiam obruebatur. Honeſtiſſimum vero judicabat obſequi voluntati, & inſervire ſtudiis hominis, a quo omnia ſumma Jeſuitarum Societas expectare videbatur. Laudes, quas a Ricciolio de Grimaldio omnes haberi audiebant, erant hujuſmodi, ut ſine ejus ſubſidio nihil magni a ſe

perſici potuiſſe confiteretur. Obiit vir ſane immortalitate digniſſimus Bononiae V. Kal. Januar. an. MDCLXIII. cum compleſſet annos XLIV. menſes VIII. dies XXVI.

OPERA EDITA.

Phyſico-Matheſis de lumine coloribus & iride, aliiſque adnexis libri duo, in quorum primo afferuntur nova experimenta, & rationes ab iis deductae pro ſubſtantialitate luminis. In ſecundo autem diſſolvuntur argumenta in primo adducta, & probabiliter ſuſtineri poſſe docetur ſententia peripatetica de accidentalitate luminis. Qua occaſione de hactenus incognita luminis diffuſione, de reflexionis, refractionis, ac diffractionis modo & cauſſis, de viſione, deque ſpeciebus intentionalibus viſibilium & audibilium, ac de ſubſtantiali magnetis effluvio omnia corpora pervadente, non pauca ſcitu digna proferuntur, & ſpeciali etiam argumento impugnantur Atomiſtae. Auctore P. Franciſco Maria Grimaldio Societatis Jeſu. Opus poſthumum. Bononiae 1665. Ex Typographia Haeredis Victorii Benatii.

Multa ad Grimaldium pertinentia, praeſertim aſtronomica, in Riccioli operibus reperiuntur, ad quae ipſius Grimaldii ſtudioſos delegamus.

INDEX

RERUM NOTATU DIGNIORUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Academia Piſana 1. 43.
-------- *del Cimento* 37. 71. ejus hiſtoria 203. & ſeq. 292. 311.
-------- Bononienſis quaedam 79.
-------- *della Traccia* a Montanario inſtituta 92.
Aeris natura examinatur 80.
Alphonſus IV. Mutinae. Dux 75.
Anatome ejus tractandae difficultas 2. e ſeq. ejus hiſtoria 120. & ſeq. 143.
Arabes quomodo anatomen excoluerunt 104. medicinam 273.
Ariſtoteles 296. 297. 345.
Auberius 133.

B

Bartholinius Thomas 7. 31. 47. 49. 126. 252.
Bellinius 93. 144. 248. 293. 330.
Bianuccius Bartholom. 367.
Bilſius notatus [illegible]
Blanchinius Franciſcus 96. 101.
Blaſius ejus furta 8. 9.
Boerhaavius 17. 25.
Bonannius Philippus reprehenſus 171. 298. 306.
Bonius Paullus 71. ejus vices & mors 73.
Bononienſis Academia quid debeat Montanario 64. & ſeq. quot illuſtribus viris floruerit 65.
Borellius Petrus 34.
-------- Alphonſus 37. 94. 132. 137. 143. 144. 170. 207. 333. 358.
Boyleus Robertus 220. 221.
Bulialdus Iſmael 73. 208.

C

Caldeſius Joannes 308.
Canterzanius Sebaſtianus 64.
Carteſius notatus 36.
Caſſinius Jo. Dominicus 77. 78. 79. 86. 87. 97. 207.
Cavina Petrus reprehenſus 90.
Cerebri anatome 34. 47.
Caeſalpinus Andreas 370.
Chircherius Athanaſius reprehenſus 298. 299. 312.
Chymici quid in medicina praeſtiterint 274.
Cochleae harum varia natura 305.
Cometae obſervati 78. 96. 338.
Cornelius Hieronymus 95.
Cor ejus anatome 21. 22. 26. 44. 132. de ejus polypis varia 155. de ejus formatione ſcripta 176.
Corunius Dominicus 1. 6. 120.

D

DAtus Carolus 37. 292. 302.

E

EClipticae obliquitas 77.
Euremondus Sanctus 254.

F

FAlconerius Octavius 206. 225.
Federicus Jacob. laudatus 69.
Fontana ejus experimenta de viperis 295. de ſcorpionibus 299.
Fracaſſatius Carolus 134. 136.

G

GAudentius Paganinus 279.
Glandulae varia de iis a 9. ad 17. 146. 156. 178.
Grimaldius Franciſcus Maria 80. ejus ortus 372. ſtudia 373. Jeſuitis nomen dat 373. ejus obſervationes de luna 374. nomina dat hujus planetae regionibus 375. ejus de lumine obſervationes & experimenta 376. & ſeq. Ricciolium adjuvat 379. mores & mors 379.
Guglielminius Dominic. Montanarium defendit 90. 94.

H

HAllerius 3. 13. 14. 16. 21. 25. 36. 135. 140. 141. 158. 176. 371.
Heiſterus 17.
Hiſtoria naturalis 161. 296. 314.

I

JEſuitae Stenoni infenſi 54. 89. eorum odia in Academiam Piſanam 335. & ſeq.
Innocentius XII. 187.
Inſecta varia examinata 177. 298. haec omnia ex ovis naſcuntur 171. 298. & ſeq. 301. 312. 373.

L

LAncius Antonius laudatus 200.
Latinae linguae laudes 195.
Linguae anatome 144.
Linnaeus reprehenſus 170.
Lorenzinius Stephanus 308.
Lucis theoria a quo tradita 370. 377. & ſeq.
Lumbricorum natura examinata 304. 307.

M

MAgalottus Laurentius 37. ejus ortus 199. ingenii felicitas 201. a commentariis Academiae *del Cimento* creatur 203. ejus ſtylus 205. 215. 257. opus de experimentis ejusdem Academiae ſcribit 206. hujus argumenta 207. ad Hugenium Academiae nomine ſcribit 207. ejus negotia & conjunctio cum Barberiniis 210. quam principibus Mediceis acceptus *ib.* quam picturae ſtudioſus 211. quam Alexandro VII. carus 212. ejus de odoribus ſcripta 213. de vi electrica 214. ſtudia ſacra excolit 214. de Sinenſibus

rebus ſcribit 215. 216. ejus poetica ſtudia 216. & ſeq. quam Dantis amans 217. Anacreontem convertit 218. multarum linguarum peritus 219. ejus itinera 219. 225. 226. familiaritas cum Boylaeo 220. ſcripta ad eum 221. ejus epiſtolae ad Mediceos Principes 222. 239. legatus mittitur Mantuam 223. Viennam 227. Coloniam Agrippinam 225. ejus domeſtica negotia 224. 237. de ducenda uxore cogitat 228. & 230. ejus Italica carmina 231. 245. contra atheos ſcribit 232. & ſeq. de religione & principatu 236. Romanae Philippinorum familiae ſe addicit 240. hanc deſerit 241. ejus occupationes *ib.* ejus epiſtolae philoſophicae 242. S. Euremondi imitator 244. de buccheris ſcribit 245. ejus mores 249. 250. 253. valetudo 251. mors *ib.* opera edita 260. inedita 263.

Magiottus Raphael 480.

Malpighius Marcellus 49. 57. ejus ortus 128 ejus praeceptores 129. medicinae ſtudet 131. ejus praeceptor fit Bononiae *ib.* Piſis 132. quam per Borellium profecerit 132. dialogos ſcribit 133. ejus inventa quaedam in Etruria 132. 133. ad Bononienſes redit 134. de pulmonibus ejus inventa 135 ejus de generatione ſanguinis opinio 136. de febribus contagioſis ſcribit 138. Meſſanae medicinam profitetur *ib.* ejus de plantis inquiſitiones 139. 166. de piſcibus varia ejus inventa 140. & ſeq. ejus de ſucco nerveo error 142. de lingua inventa 144. de papillis 145. cum Liparo diſputat 147. ejus rei cauſſa Meſſana diſcedit 150. de viſceribus nova ſcribit 151. & ſeq. de glandulis ejus opinio 152. & ſeq. de lienis uſu 154. de oſſium natura 159. de bombyce 162. 163. quanta in opinione eſſet apud Anglos 165. 166. 169. 178. 184. 189. de animalium generatione ejus inventa 172. & ſeq. diverſorum naturam explicat 177 varia ejus anatomica 178. de cornubus ſcribit *ib.* de pilis 179. de ſanguinis circuitu & natura 180. & ſeq. ſuam vitam narrat 182. Innoc. XII. Archiater 187. ejus morbi & mors 189. diſcipuli 191. opera edita *ibid.*

Malvaſia Cornelius 76.

Marina corpora cur in montibus inveniantur 39. & ſeq.

Marſilius Academiae Piſanae curator reprehenſus 93.

Meadius 295.

Medicei Principes laudati 75. 134. 222. 316.

------ Ferdinandus II. 37. 44. 48. 88. 131. 223. 280. 286. 291 316.

------ Leopoldus 37. 75. e-

jus. laudes 202. 208. 209. 292. 316. 326.
—— Coſmus III. 150. 55. 219. 222. 316. 334. 346. 347.
—— Franciſcus Maria Cardinal. 238. 338.
Michelinius Famianus 279.
° Montanarius Geminianus quam de Bononienſibus meritus 64. ejus ortus 69. ſtudia in Etruria *ib.* vices 70. Viennam concedit *ib.* Galilejanae philoſophiae ſtudet 71. ejus phyſica experimenta *ib.* fodinas Germaniae inviſit 72. redux in Italiam Mutinae conſedit 74. Bononienſi Academiae addicitur 76. caeleſtes ephemerides ſcribit 77. de cometis 78. 96. phyſica ſtudia provehit 79. de tubis capillaribus diſſerit 80. & ſeq. ejus de pluvia ſententia 83. cum Roſſetto diſputat 84. cum Gavina 89. ejus epiſtolae aſtronomicae & phyſicae 88. 89. 104. quam attentus praeceptor 85. ejus itinera 86. quam Caſſinio carus *ib.* de vitreis guttulis ſcribit 88. de igneo globo 90. de rebus hydroſtaticis 91. 94. de libella 97. de baliſtica 98. de tuba loquente 99. de viribus Aeoli 100. de falſitate aſtrologiae 103. de rebus variis phyſicis & mathematicis 104. de monetis *ib.* & 114. Venetis inſervit 93. 98. ab his profeſſor fit Patavinus. 93. valetudinis incommoda 70. 86. 104. mors 105. mores 107. opera edita & inedita 188. & ſeq.
Montium origo explicatur 41. & ſeq.
Morgagnius 13. 14. 16. 18. 140. 157. 158.
Muſculi tractatus de iis 17.

N

Newtonus 96. 368. 377.

O

Oliva Antonius 200.
Oricellarius Julius 194.
Oſſium ſtructura 153.

P

Pacquetus 371.
de Papa Joſephus ejus ortus 329. ſtudia 330. amicitiae 331. & 332. de natura caloris & frigoris ſcribit 332. de luce & igne 334. Piſanam Academiam adverſus Jeſuitas defendit 335. 343. ejus profeſſor declaratur 330. 336. Annae Medicaeae inſtitutor 337. aſtronomiae dat operam 338. qualitates Peripateticorum oppugnat 338. a Jeſuitis exagitatus 341. ejus ſcripta de rebus phyſicis varia 349. ejus in medicina [illegible] 350. & ſeq. Mediceorum Principum Archiater 351. in amicos liberalis 354. ejus conſilia medica 355. de febribus ſcribit 347. ejus diſſertationes variae 359. mors 362. mo-

res 363. opera edita 386.
Peripateticorum in recentiores philoſophos odia 341. & ſeq. de lumine doctrina 377.
Petrius Joſephus 268.
Pighius Jacobus 117.
Pinotius Petrus 236.
Priglejus ejus de Redio judicium 288.

R

RAſponus Franciſcus reprehenſus 235.
Redius Franciſcus 37. 49. 171. 248. 254 ejus ortus 278. ejus ſtudia 279. Romam concedit 280. a Ferdinando II. adhibetur 281. 286. ejus merita in medicinam & hiſtoriam naturalem 281. 286. & ſeq. 296. & ſeq. in poeſim italicam 283. ejus fama & modeſtia 289. 315. ejus experimenta de rebus phyſicis 292. de viperis 298. de inſectis 298. error de vermibus, qui in fructibus naſcuntur 300. alia de animalibus viventibus 303. ejus mores 308. 309. 320. 322. varios errores convellit 310. & ſeq. alia ejus experimenta naturalia 311. ejus eruditio 312. ſcribendi elegantia 318. lepor 319. comperatio cum Malpighio *ib.* induſtria 320. Religio 321. mors *ib:* laudes de eo 322. opera edita 323. quam faveret diſcipulis 300. 328.
Refractionum caeleſtium doctrina 78.
Ricciolius Jo. Baptiſta 78. 372. 379.
Riccius Michael Angelus 209.
Roſſettus Donatus cum Montanario diſputat 84.
Ruyſchius 127. & 151.

S

SAmpierius Carolus Antonius Academiae cujuſdam inſtitutor 79.
Sangallus Petrus Paullus 308.
Savornianus Hieronymus 88.
Sommerſius Jo. 250.
Steno Nicolaus ejus opera Academiae Piſanae utilis 1. ortus 7. ſtudia 8. cum Blaſio diſputat 8. 9. ductum ſalivalem invenit 8. glandulas varii generis 9. 10. de ſaliva diſſerit 11. de glandulis oculorum ſcribit 12. de narium vaſibus 14. de glandulis generatim 16. de muſculis 17 ejus errata 21. 24. 25. a Ruyſchio laudatur 22. zoologiam excolit 27. 44 dentium naturam inquirit 29. de ovis feminarum diſſerit 31. & ſeq. diu in Batavia ſtudiorum cauſſa commoratur 8. 33. in Galliam venit 34. Ibi cerebri anatomen illuſtrat *ib.* in Etruriam venit 37. quam Mediceis Principibus carus 37. 43. 50. 51 55. e Luterano fit Catholicus 38. 224. de ſolido intra ſolidum ſcribit 38. & 39. de cordis fabrica 45. & ſeq. de cerebro quae

dam 47. ejus ſcribendi mos 48. quam caſus Coſmo Mediceo 49. 50. 55. anatomen Haſniae docet 49 a Luteranis exagitatus in Etruriam redit 50 ſit presbyter 51. quantis virtutibus praeditus *ib.* & ſeq. ſit Ferdinandi Medicei inſtitutor 51. Epiſcopus Titopolitanus & Vicarius Apoſtolicus 53. ejus ſtudium in catholicam religionem 54. ejus mors 55. ejus corpus Florentiam aſportatur 55. opera edita 60. & ſeq. munera in Etruria 223.

T

Targionius Jo. 326.
Thevenotius laudatus 34.
Trionfettus Laelius ejus laudes 66.
Turbinum deſcriptio 100. & ſeq.

V

Valiſnerius Antonius 301. 314.
Venetiarum lacunae quomodo ſanari poſſint 94.
Venenorum varia natura examinata 294. 298.
Verheyenius laudatus 15.
Viperae de harum veneno & natura experimenta 293.
Winslous Jacobus Benignus 55. 157.
Viſcerum anatomia 151. & ſeq.
Vivianius Vincentius 37. 201.

ERRATA — CORRIGE

ERRATA			CORRIGE
Pag. 56.	l. 6.	ETHERODO-XUM	HETERODOXUM
76.	22.	Jambergianis	Lambergianis
82.	12.	capillaribus	capillaribus, &
ibid.	23.	athmoſphaera	atmoſphaera
103.	23.	profecto	*deme*
123.	ult.	Averliani	Aureliani
141.	13.	agere	praeſtare
152.	ult.	foetis	foetibus
187.	prim.	omnium	*adde* maxime
208.	7.	delabi	ſe delabi
215.	10.	maxime	maxime ſe
224.	16.	non parum	aliquid
225.	3.	& ſed	ſed &
270.	15.	Herophli	Herophili
281.	16.	putabant	negabant
287.	2.	luctas	pugnam
295.	.	mixillae	maxillae
306.	11.	non	ut non

111. Addi debebat operibus editis Montanarii *il Trattato del valore dell' abuſo delle monete*, quem librum edi-dit Philippus Argelatus in tertia parte *de monetis Italiae*.

00023744

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016